NOTÆ.

a *Cælestinus*.) Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc tit. c.* 1. cui tamen Prælato missa fit hæc decisio, ex neutra collectione constat; illud tamen certum est, in præsenti referri secundam epistolæ partem, primam referri *in c. plerumque, de donat. inter*.

b *Rescriptum Apostolicum*.) Hæc verba exposui *in c. cum in iure, de offic. deleg.*

CAPUT III.

Honor. III. *Episcopo* a *Ferentinati*.

Litteræ tuæ, ac petitio dilecti filii *b* Archipresbyteri *c* Sanctorum Priscæ, & Aquilæ denuo nobis exhibitæ continebant, quod cum causam, quæ inter Archipresbyterum ex una parte, & nobiles viros Andream *d* Alatrin. & G. ac fratres, & filios eorum ex altera, super quibusdam possessionibus, & rebus aliis vertitur, tibi duximus committendam, idem Archipresbyter libellum Ecclesiæ suæ nomine obtulit, continentem, quod pensio pro dictis possessionibus soluta non fuerat ipsi Ecclesiæ, elapsis jam *e* tribus annis, & *f* ultra: Nobilibus vero ipsis petitionibus petentibus, ut explicaret ipsis spatium, quod per hanc adjectionem (& ultra) significari volebat, & ipso Archipresbytero exprimente, quod septem annis fuerat in dictæ pensionis solutione cessatum, iidem Nobiles dicentes litem bellum Ecclesiæ hujusmodi expressione mutatum, longiores ad deliberandum inducias petierunt; quas quia denegasti eisdem, nostram audientiam appellarunt. Nos ergo appellationem hujusmodi frivolam reputantes, f. t. mandamus, quatenus ea nequaquam obstante, in negotio ipso prævia ratione procedas, juxta priorum continentiam litterarum.

NOTÆ.

a *Ferentinati*.) Seu Ferentino, ut legitur in quinta collectione Honorii III. *sub hoc tit. c.*1. Ferentinum perantiqua civitas est in veteri Latio, quæ spectat ad Hernicos, in supino colle substructa prope Latinam viam: ejus meminerunt Livius *l.*15. Halicarnasseus *l.*4. & alii congesti ab Ughellio *t.*1. *Italiæ sacræ*; *in Ecclesia Ferent.* Decoratur Cathedra Episcopali jam a Sæculo quinto Ecclesiæ. Ejus Præsuli Alberto Longo dicto præsens epistola missa est.

b *Archipresbyteri*.) In sexta collectione legitur *Presbyteri*: & statim, *idem Presbyter*; sed retinenda est præsens littera supponendo temporibus Honorii III. Cardinalem Presbyterum tituli SS. Priscæ, & Aquilæ fuisse Decanum Cardinalium Presbyterorum, qui recte dicitur Archipresbyter, *c.* 2. *de offic. Archipresbyt.*

c *Sanctorum Priscæ*.) Hæc Basilica est Romæ in monte Aventino, ubi servantur corpora sancti Aquilæ, & sancti Priscæ uxoris suæ: est in ea titulus Cardinalitius, qui cum aliis quinque subest Basilicæ Patriarchali S. Pauli, ut refert Cohel. *in not. Card. c.* 3.

d *Alatrin.*) Alatrinum est, seu Aletrum, Latii antiqua civitas versus Orientem sita: ejus meminerunt Livius relatus a Cironio in præsenti, Frontinus, & Plinius congesti ab Ughellio *t.* 1. *Italiæ sacr. pag.* 320. *in histor. Alatrinf. Præsulum*.

e *Tribus annis*.) An pensione non soluta per triennium statim debitor cadat in commissum, dicemus Deo volente, *in c. potest, de locat. & cond.*

f *Ultra*.) Quæ dictio licet modicum, tamen incertum tempus importat, ut probat Barbosa *in dict. verbo ultra*.

CAPUT IV.

Gregorius IX. *Abbati* a *Aquavivæ*, *Turon. diœc. & Archid. Turon.*

Exposuit nobis *b* Bituricensis Archiepiscopus. *Et infra*; Burdegalensi Archiepiscopo dedimus in mandatis ut super jure primatiæ, quam in eo, & in provincia sua dictus Bituricens. Archiepiscopus se habere proponit, ad initium proximo præteritæ Quadragesimæ (quod ei terminum peremptorium assignavimus) per se, aut per procuratorem idoneum se conspectui nostro præsentaret. Cumque postmodum personaliter vocatus pro Ecclesiæ Romanæ subsidio ad nostram audientiam accessisset, dictus Bituricen. Archiepiscopus apud Sedem Apostolicam constitutus postulavit instanter, ut in eodem negotio procedere deberemus. Idem vero Burdegalensis Archiepiscopus ad propria rediens constituit pro se procuratorem in ipso negotio, qui salvis exceptionibus sibi competentibus, in respondendo, & defendendo, ac aliis omnia faceret, quæ in propria erat persona facturus. Petente ergo Archiepiscopo supradicto, ut præfatus procurator responderet eidem, ille excipiendo proposuit se ad hoc non teneri, cum pro alia majori causa, pro publica scilicet utilitate, dictus Burdegalensis vocatus, pro absente reputari deberat, & revocandi *c* domum privilegium habuisset. Nondum etiam super hoc deliberaverat cum suffraganeis suis, & aliis quorum consilium tam ardua causa requirit: nec tempus habuerat, in quo ad utrumque negotium valuerit (sicut expediret) esse paratus. Sed pars altera contra respondit, quod cum super quæstione prædicta prius fuerit evocatus, nostræ intentionis non fuerat primum mandatum per posterius revocare: temporis quoque spatium habuerat tam prolixum, ut potuisset, si voluisset, super eam deliberare prædicta, sicut fecerat cum quibusdam, & commode utrique negotio imminere. *Et infra*: Nos igitur de consilio fratrum nostrorum usque ad proximum venturum festum Nativitatis Dominicæ dilationem adhuc sibi duximus indulgendam.

NOTÆ.

a *Aquavivæ*.) Monasterium hoc S. Mariæ de Aquaviva dictum est Canonicorum regularium Ordinis D. Augustini, ut refert Pennotus *in hist. ipsorum*, *l.* 2. *c.* 33. *nu.* 20. *in fin.*

b *Bituricensis*.) Historiam hujus textus ab origine retuli *in c. fin. de majorit. & obed.*

c *Revocandi domum*.) Juxta adducta *in c. fin. de foro comp.*

COMMENTARIUM.

1 Conclusio traditur, & probatur.

Ex his quatuor decisionibus sequens deducitur disputanda assertio, *Si judex concedat dilationes nimis breves, aut longas, recte a tali sententia appellatur*. Probant textus *in c. delectus, de procurat. c. fin. de dolo & contumacia, c. tam ex litteris 5. de integrum restit. c.*1. *ut lite non contest. c. quoad consultationem* 15. *de re judic. c. consuluit* 24. *de offic. deleg. c. dudum* 54. *de elect. c. quoad consultationem, de re judic. c. pet. hoc tit. in* 5. *collect. l.*5. *C. de R. J.* illustrant nitra congestos a Barbola, Melchiore Kling, Fermosino & Garanna *hic*, Vighellius *in method. juris can. pag.* 155. Corvinus *l.* 3. *aphorism. juris Pont. tit.* 19. Didacus Perez *in l.*1. *tit.*6. *l.*4. *Ordin.* Donellus *l.*23. *comment. c.*6. Pet. Greg. *l.*48. *syntag. c.*8. Vultejus *l.*2. *de judiciis, c.*7. *n.*286. Salgado *de protect. regia*, 2. *p. c.* 9. *n.* 258. Aut. Matthæus *ad tit. de accusat. c.* 11.

2 Impugnatur hæc assertio.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione; nam in arbitrio judicis est pro rei, seu causæ qualitate, personarumque conditione, locique distantia augere, seu minuere, *c. si Episcopus* 3. *q.*2. *c. si agrotant* 5. *q.*3. *c. consuluit* 35. *de offic. del. c. quoad consultationem, de re judic. c. oblato, §. licet, de appell. l. in oratione, ff. de feriis, l.*1. *C. hoc tit.* unde in usu judiciorum dilationes arbitrariæ dicuntur, Vultejus, & Ant. Matthæus *ubi proxime*. Igitur a sententia, qua longa, aut brevis dilatio conceditur, appellari non potest. Augetur hæc difficultas ex eo, nam etsi reo indulgetur facultas appellandi a denegatione dilationum, actori tamen concedi non debet, cum ipse potuerit, cum actionem proposuit, eam omnibus adminiculis in explorato habere: reus autem, quia invitus, & præter spem ad judicium vocatur, jus habet, ut dilationes illi concedantur, *l. penult. C. de temp. in integr. restit. l.*5. *§. ult. ff. de doli except.* Igitur non recte æqualiter conceditur actori, ac reo facultas appellandi a taxatione, seu denegatione dilationis. Fulcitur secundo hæc difficultas *ex l. fin. ff. de feriis*, ubi docetur, amplius quam semel dilationem a judice non esse concedendam. Igitur si una concessa secunda denegetur, non licet ideo a tali sententia appellare.

3 Dilatio quid sit.

Qua difficultate ita fulcita, vallataque, non obstante, vera est præsens decisio, ad cujus expositionem sciendum est, dilationem, seu diei prolationem, nihil aliud esse, quam justum temporis intervallum, quod ad actum peragendum in judicio actori, vel reo conceditur, ut docent Valensis, Honorius, & Legausre *ad hunc titulum*, Cujacius & Vvesembechius *ad eumdem tit.* C. Datur dilatio omnis, vel a lege, vel a judice, *l.*4. *C. hoc tit.* Princeps autem dilationem raro concedit, quia qui coram ipso litigare vult, sufficienter instructus debet comparere, *l.* 5. *C. hoc tit. l.*1. *C. de relat.* Datur dilatio a lege quoties absque ministerio hominis lex, seu statutum assignat terminum, ut *in l.*1. *& 4. ff. de re judic.* A judice vero datur, cum ipse pro tribunali sedendo terminum ad

ad actum judicialem præscribit, *c. ult. §. a judice* 3. *qu.* 3. *c. cum sit Romana, in fine, de appellat.* Causæ ob quas dilationes dantur, variæ sunt, veluti si alter ex litigatoribus morbo sontico laborare, aut Reipublicæ causa abesse cœperit, *l. quæsitum* 60. *ff. de judic.* si alterius familia funesta sit morte patris, vel domini, *l. interdum* 36. *ff. de judic.* si alter ex litigatoribus testes, instrumenta, vel advocatum abesse queratur, *leg. interdum* 36. *leg. argentarium* 45. *ff. de judic. l.*1. *& 2. C. hoc tit. l. ait Prætor* 23. *§. ult. ff. ex quibus causis major.* plerumque conceduntur ad testes producendos, *c. licet de probat.* ad exceptiones opponendas, *c.*1. *& sequenti*, 3. *q.* 3. ad instrumenta edenda, *novell.* 115. *§. sed hoc*: ad solutionem faciendam, *l.*2. *& 3. C. de judic.* ad se purgandum, *c. tam ex litteris, de testibus*, ad agendum, vel accusandum, *c. licet, de accusat. c. final, de clandest. desponf.* ad restitutionem petendam, *c. frequenti, de restit. spol.* ad litem contestandam, *c.*2. *hoc tit.* & similes actus in judicio peragendos: tempora vero dilationum, quoniam a jure, nisi in paucis casibus definita non sunt, idcirco recte arbitraria dicemus, idest arbitrio judicis definienda; in aliquibus tamen causis tempus definitum est, veluti ad probandam intentionem, si ex eadem provincia producendi sunt testes, indulgentur tres menses; si ex continenti, sex; ex trans mare novem, *l.* 1. *C. hoc tit.* si reus ad judicium vocatur, singulis citationibus decem dies assignantur, *l. ad peremptorium, ff. de judic. l. properandum, §.* 2. *C. eodem, leg. ult. C. Theod. eodem tit.* quod tempus Justinianus *in novell.*112. ex qua desumpta est authentica *qui semel*, *C. quomodo & quando*, protraxit ita, ut per singula edicta, sive citationes tempus triginta dierum intermitteretur; si autem actio inter Fiscum, & privatum moveatur, quatuor menses ad respondendum reo indulgentur, *l.*3. *C. Theod. hoc tit.* ubi Gothofredus. In causis autem criminalibus tantum triduo dilatio conceditur, *leg. inter* 10. *ff. de public. judic. c. si autem* 15. *q.* 7. Hodie in dilationum spatio utimur stilo cujusque Curiæ, & judex potest pro negotii, seu personæ qualitate augere, vel minuere illud, *c. consuluit, de offic. deleg.* illi tamen decem dies, qui assignantur in via executiva, ut reus executionem impediat, a judice prorogari non possunt, ut probat Fermosinus *in c.*1. *hoc tit. c.*4. Alia plura adducunt, tam ex veteri quam novo fori usu, Polletus *histor. fori c.*15. Duarenus *ad tit. de feriis*, & alii ab Osualdo relati *l.* 24. *Donelli*, *c. 6. hoc tit. A.*

4 Traditur ratio conclusionis.

Quibus ita animadversis ratio prædictæ conclusionis facile deprehenditur; cum enim judex pensatis causæ, personarum, & loci circumstantiis non debeat dilationes concedere nimis longas, ut finis litibus imponatur; aut non ita breves, ut indefensi litigatores reperiantur; ideo si neglectis his rationibus judex nimis breves, aut nimis longas concesserit dilationes, juste ab hujusmodi sententia, licet interlocutoria, appellatur, cum contineat damnum, seu gravamen irreparabile, ut docet alias rationes adducens, Fermosinus *in c.*1. *hoc tit. q.* 1. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam verum est, dilationes dici arbitrarias, non quia arbitrio judicis relictum sit eas concedere, vel non; sed quia pro varietate, & circumstantiis causarum, loci & personarum debet eas concedere, regulato arbitrio juxta juris regulas, & sanctiones; unde si nimis breves, aut longas præscripserit, appellatio interponi poterit. Nec obstat primum argumentum difficultatis; nam licet dilatio uni parti concessa, utrique communis sit, *l. perinde, C. de in integ. restit.* tamen reis longiores debent concedi dilationes quam actoribus, quia actores jam instructi comparere debent, rei vero inviti, & præter spem ad judicium trahuntur: docet Vultejus *de judic. l.* 2. *c.* 7. *n.* 277. Nec tandem adversatur textus *in d. leg. final. ff. de feriis*: cujus mens & vera interpretatio, omissis traditis a Duareno *in comment. ad tit. de feriis*, ea est, videlicet ut in civilibus judiciis in singulis causis, nonnisi una dilatio concedatur: exempli gratia si instrumenti producendi causa dilatio concessa est, iterum alia non detur, nisi causa cognita: in capitalibus vero judiciis reo tres, accusatori vero duæ, causa cognita assignentur, a qua definitione vulgus excipit crimen adulterii, *ex l. in crimine* 41. *ff. ad leg. Jul. de adult.* Verum si executiamus ante illud Pauli responsum, inveniemus concordare cum alio ipsius Pauli, relato *in d. leg. ultima, ff. de feriis*; nam cum in utroque Paulus dicat dilationem causa cognita dari, eo ipso satis innuit, nihil esse causæ, quare adulterium a reliquis criminibus separetur.

TITULUS IX.

De Feriis.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio apud a *Compendium*.

Omnes dies *b* Dominicos a *c* vespera in vesperam cum omni veneratione *d* decernimus observari, & ab omni illicito *e* opere abstinere, ut in eis *f* mercatum minime fiat, neque *g* placitum, neque aliquis ad *h* mortem, vel ad pœnam judicetur, neque *i* sacramenta (nisi pro pace, vel aliqua necessitate) præstentur.

NOTÆ.

1 a *Compendium*.) Ita etiam legitur apud Burchardum *l.*2. *Decreti, c.*81. Ivonem *l.*2. *tit.* 13. *c.* 2. & *in* 1. *collect. sub hoc tit. c. unic.* Compendium est villa in Gallia, ubi plerumque Ludovicus, & Carolus Pipinus Galliæ Reges secedere solebant, ut constat ex ipsorum Capitularibus, *l.*6. *c.*35. „ Compendium villam una cum Rege secessit. *Et l.*6. *c.*35. Intra Compendium, & Carisiacum, ceteraque his vicina patia usque ad Hiberni temporis initium conversatus est. *Probat Papirius Masonius* in descrip. Gall. per flumina, pag. 269. " Eo in loco plerumque Synodi celebratæ sunt, quarum tres refert Sirmundus inter Capitularia Caroli: verba autem hujus textus deducta sunt *ex can.* 2. *Concil. apud Compendium*, quod celebratum fuit sub Greg. IV. anno 833. ut refert Coriolanus *in summa, in notis ad ipsum*: reperiuntur etiam hæc verba *l.*5. *Capit. Caroli, c.*88. ibi: „ Omnes dies Dominicos cum omni veneratione observare decrevimus, & a servili opere abstinere, & mercatus in eis minime fit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur. *Et l.*1. *c.*15. *illic*: Item in eodem Concilio præcipitur, ut a vespera usque ad vesperam dies Dominica servetur. *Et l.* 6. *c.*186. *ibi*: Diem Dominicum secundum reverentiam colite, opus servile, idest agrum, pratum, vineam, vel si qua graviora sunt, non conficiatis, neque causas, neque calumnias inter vos dicatis; sed tantum divinis cultibus serviatis, & a vespera ad vesperam dies Dominicus servetur. " Ex quibus locis compactus, compositusque fuit præsens textus ab antiquis Decretistis, a quibus transcripsit Raymundus.

b *Dies Dominicos*.) Quos Judæi primam Sabbati dicebant, Gentiles Solis diem vocabant, a quibus etiam Christiani acceperunt. Justinus Martyr *apolog.*2. *pro Christianis*, ibi: „ Solis autem die communes cœtus, & concursus facimus, quandoquidem primus hic est dies, quo Deus caligine depulsa orbem condidit, & Jesus Christus Servator noster eodem die a mortuis excitatus; nam eo die qui Saturni diem sequitur, qui quidem solis est dies, Apostolos suos, & discipulos, quibus conspicuum se præbuit, &c. *Hæc docuit Gregor. Turon.* l.3. hist. Franc. c.13. Ecce dies solis adest; sic enim barbaries diem Dominicum vocitare consueta est. " Qua profana appellatione hunc diem exprimunt Imperatores *in l. omnes dies*, *C. hoc tit. l.* 1. *&* 2. *C. Theod. eod. tit.* ubi notavit Gothofredus. Germonius *l.*2. *sacr. c.*18. *leg.* 1. *C. de spectacul.* quia eum diem non solum Christianis colendum præcipiebant, verum etiam Gentilibus sub Imperio Romano degentibus, ut tradit Eusebius in vita Constantini *l.*4. *c.* 18. Cujus nomenclaturæ origo facile deprehendetur, si observemus, nomina singulis diebus hebdomadæ a septem errantibus stellis, quas Græci planetas vocant, antiquitus inditas fuisse. Eusebius *homil.*11. *de Pascha*, ibi: „ Mortifera idololatriæ consuetudo in tantum homines obcæcaverat, ut Solis, Lunæ, Martis, atque Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni, & diversis elementorum, ac dæmonum appellationibus dies vocitarent, & luci tenebrarum nomen imponerent. *Beda* de rat. temp. c.4. *D. Isidorus* l.5. etym. c.3. Dies, *ait*, a Diis dicti, quorum nomina Romani quibusdam sideribus sacraverunt: primum enim diem a Sole appellaverunt, qui Princeps est omnium siderum, sicut & idem dies caput est cunctorum dierum. Secundum a Luna, quæ soli & splendore, & magnitudine proxima est. Tertium a stella Martis, quæ vesper vocatur. Quartum a stella Mercurii, quam quidam candidum circulum dicunt. Quintum a stella Jovis, quam Phaetontem ajunt. Sextum a Veneris stella, quam Luciferum asserunt, quæ inter omnia sidera plus lucis habet. Septimum a stella Saturni. " Illustrant, & alia adducunt Brissonius *in l. die dominico, pag.* 5. *C. de spectaculis*, Barthius *l.*18. *adversf. c.* 1. Garzonus *in theatro, tit. de Kalendariis, discurs.* 6. Carrier. *t.*2. *digest. fidei, tr. de festis, sect.*1. Meursius *in glossar. verbo Curiacus*, Germonius *l.*2. *de sacror. immun. c. penult.* In Ecclesia autem Catholica dies primus, Dominica appellatur. D. Joannes *in sua Apocalypsi, c.*1. ita fatur: *Ego Joannes fui in spiritu in Dominica die.* Quæ verba de nostra die Dominica accipiunt omnes Theologi positivi congesti a Bellarmino, *l.*3. *de cultu Sanctorum, c.*11. Suar. *de relig. t.*1. *l.*2. *de diebus festis, c.*24. *n.*1. & D. Clemens *l.*7. *const. c.*31. ait: „ Die resurrectionis Domini, quem Dominicum dicimus, convenite sine ulla conventus intermissione ad agendas gratias Deo ob beneficia, quibus nos Deus per Christum affecit. *Item D. Ignatius ep.*3. Pro Sabbati ratione diem Dominicum celebret omnis Christianus, „ regu-

„ regulam omnium dierum supremam. " Consentiunt Justinus Martyr *apolog.* 2. Tertul. *de corona milit. c.*3. & *in apolog. c.*16. Origenes *in Exodum homil.*27. D. Gregorius *l.*11. *epist.*3. D. Hieronymus *ad c.*4. *Pauli ad Galatas*, D. Aug. *epist.* 119. *ad Januar. c.*3. & *sqm.*291. Leo Pont. *epist.* 81. *ad Dioscorum*. Ex quibus omnibus PP. testimoniis satis probatur diei Dominicæ nomenclaturæ antiquitas.

c *A vespera in vesperam.*) Ita etiam in lege veteri Sabbatum celebrabatur, juxta præceptum Judæis datum *Levitici c.* 23. *vers.* 32. his verbis: *A vespera in vesperam celebrabitis Sabbata vestra*. Quem locum docte exponunt Spondanus *in epit. Baronii*, *anno* 34. *num.* 46. eruditus D. Laurent. Ramirez de Prado *in Pentecost. c.* 41. Et licet more Romano dies a dimidia nocte incipiat, & in aliam dimidiam finiatur, *l. more*, *ff. de feriis c. consuluit* 24. ubi notavi, junctis traditis a Tiraquello *de retractu l.*1. §.1. *glossa* 11. Cujacio *l.*15. *obs. c.* 32. & *l.*27. *c.*27. & *in tr. de diversis & tempor. c.*2. Ant. August. *l.*4. *emend. c.*23. Cornelio Vitellio *de diebus*, *mensiumque observatione*, Osualdo *l.*24. *Donell. c.* 6. *litt. F*, tamen quoad horas canonicas, & divina officia a vespere in vesperam dies Ecclesiasticus computatur, *c. quod die*, 75. *dist. c.*1. *de consecr. dist.*3. *Clement.*1. *de relig.* Illustrant P. Greg. *l.*1. *part. tit.* 19. *c.*5. Covar. *l.*4. *var. c.* 19. *n.* 9. Menardus *in notis ad Gregorium*, 271. Quoad præceptum vero colendi ipsum diem festum, viginti quatuor horæ debent a dimidia nocte in aliam dimidiam computari, ut docent Suar. *d. c.*1.*l.*2.*c.*31. Ricciulus *l.*6.*lucubr. c.*9 Nec contrarium probant verba supra relata: *A vespera in vesperam*; quibus antiquiores in præsenti varias assignarunt interpretationes. Aliqui prædicta verba accipiunt a vespera in vesperam, idest a solis ortu usque ad occasum; quæ interpretatio facile refellitur ex eo; nam serum dicitur vesper diei, sicut ejus principium appellatur mane, & prima diei pars, teste Plinio *l.*2. *hist. c.*8. qui de Veneris stella sic ait: „ Præveniens, & ante matutinum exoriens Luciferi nomen „ accepit, ut sol alter diem maturans: contra ab occasu re„ fulgens nuncupatur vesper, ut prorogans lucem, vicem„ que lunæ reddens. " Macr. *l.*1. *Saturn. c.*3. plura Ravisius Textor *in epit. verbo Vesper*. Qua solutione omissa, & aliis traditis a Suario *ubi supra n.*6. dicendum est, verba illa esse accipienda juxta antiquum Ecclesiæ usum, quo inspecto fideles in Ecclesia in diebus festivis singulis horis canonicis aderant. D. Aug. *serm.*251. de tempore. Veniant ergo quicumque possibile sit ad vespertinam, atque nocturnam celebrationem, & orent ibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis suis. " Concilium Altissiod. *c.*5. plura tradunt Spondanus *anno* 590. *n.*14. Lantdmeter. *l.*2. *de veteri mon. c.* 61. Mendoza *l.*3. *Conc. Illiber. c.*4. Albaspineus *l.*1. *obs. c.*26. Eo igitur ævo a vespere in vesperam celebrabatur Dominica dies. Conc. Forojul. *can.*23. „ Diem Dominicum inchoantes noctis initio, „ idest vespere Sabbati, quando signum insonuerit, vel ho„ ra est ad vespertinum celebrandum officium, non propter „ honorem Sabbati ultimi, sed propter sanctam illam no„ ctem primi Sabbati, hoc est Dominici diei, cum omni re„ verentia, & honorifica religione venerari omnibus mandamus Christianis. " Postea tamen consuetudine introductum est, ut tantum a dimidia nocte in aliam dimidiam hæc festivitas colatur, *c.*2. *hoc tit.* Quæ consuetudo inolevit in Italia, Hispania, & Gallia, imo per totam fere Europam: & merito, cum ita facilius integra dies Dominica observetur, ut confideat Narbona *in horalograph. hora* 24. *n.* 70.

d *Decernimus observari.*) Vetustissima in Ecclesia est diei Dominicæ celebratio; ut constat ex D. Clemente *l.*2. *const. c.* 63. ubi refert Apostolos diem Dominicum summa observantia colendum constituisse: Ignatio Martire in *epist. ad Magnesianos*, Philone Judæo *in l. de vita contempl.* Eusebio *l.*2. *hist. c.*17. Justino Martyre *apolog.*2. *pro Christianis*, Ambrofio *serm.* 61. *in Pent.* Augustino *l.*1. *qq. novi Testam. q.*95. Leone Magno *ep.*79. *ad Dioscor.* Innocentio I. *ep.*11. *ad Decentium Episcopum*, *c.*4. & in Conciliis satis commendata, in 6. Synodo *can.* 6. & 8. Concil. Forojul. sub Hadriano I. *can.* 13. Sacssion. apud S. Medardum *can.*8. Cabilon. *can.*5. Mogunt.1. sub Carolo, *can.*37. Rhemense sub eodem, *can.*35. Paris. 3. *can.* 50. Aurel. 3. *can.* 27. Matiscon. sub Pelagio, *c.* 1. Arelat. 4. sub Carolo, *c.*16. Conc. Æanhamense temporibus Joannis Papæ XVII. „ anno 996. *can.*15. „ Festivitatem diei solis, prout ad eam„ dem pertinet, ferventius quisque observato, a mercaturis, „ & conventibus populi, puta sæcularibus, & forensibus, a „ venatione etiam, & mundanis operibus in sancta illa die sedulus abstineto. " Et aliis congestis ab Antonio Aug. *in epit. l.* 20. *tit.* 12. & 13. Mendoza *l.*2. *Concil. Illib.* Rodulpho Decano, cujus opus circumfertur inter auctores scribentes de divinis officiis, Herrera *de orig. divin. offic. l.*2. *c.*7. Brissonio *in d. l. Dominico*, Carrier. *r.*2. *digestis fidei*, *c.* 546. Germonio *l.* 3. *de sacr. immun. c.*20. Bellarmino *t.*1. *controv. l.*2. *de cultu Sanctor. c.*11. Azor 2. *tom. instit. l.*1. Acunna *in c. quod die*, 75. *dist.* & *in c. tanta*, 86. *dist.* Crespetio *in summa*, *verbo Dies Dominicus*, Turriano *in explan. Clem. l.*7. *c.*24. & *lib.*8. *c.*33. & *l.*5. *pro can. c.* 17. Grethsero *c.*13. Quæ pervetusta diei Dominici observatio adstruitur, & *de festis* commendatur celebri miraculo, quod refert Mantique *t.*3. *annal. Cisterc. anno* 1201. *c.*2. & approbatum est in Concilio Scotiæ celebrato anno 1203. ut testantur Coriolanus *in summa Concil. pag.* 534. Rogerius *p.*2. *anno* 1201. a quo ita refertur: „ Quodam Sabbato post nonam, quidam Carpentarius in Be„ verlaco contra salubria uxoris suæ monita clavum ligneum „ faciens, corruit in terram paralysi percussus: & quædam „ tetrix post horam nonam in Sabbato, cum ad perceudam partem telæ anxia insisteret, cadens in terram percussa paralysi obmutuit. Et apud Nasserneu villam Magistri Rogerii Arundel, quidam homo fecit sibi panem subcinericium die Sabbati, post nonam, & inde comedit, & „ partem reservavit sibi usque mane, quem cum die Domi „ nica fregisset, exivit sanguis, & qui vidit, testimonium „ perhibuit, & verum est testimonium ejus. Et apud Vualcefed, quodam Sabbato, cum Molendinarius post nonam „ operam daret, ut bladum suum moleret, subito exivit loco „ farinæ tantus impetus sanguinis, quod vas suppositum ple„ ne impleretur sanguine, & rota molendini stetit immobilis „ contra vehementem impulsum aquæ; & qui viderunt, mirati sunt dicentes: Parce Domine, parce populo tuo. Item „ in Linconisiria paraverat quædam mulier pastam, quam de„ ferens ad furnum post horam nonam Sabbati, misit eam in „ furnum calidissimum; & cum eam extraheret, invenit cru„ dam; & iterum misit eam in furnum valde calidum, & in „ crastino, & in die Lunæ, cum æstimaret se inveuire panes „ coctos, invenit pastam crudam. Item in eadem Provincia, „ cum quædam mulier pastam suam præparasset, volens eam „ ad furnum portare, dixit ei vir suus; Sabbatum est, & hora „ nona jam præteriit, dimitte usque ad diem Lunæ. Mulier „ autem obediens viro suo fecit sicut præceperat, & involvit „ pastam suam linteaminibus mundis, & in crastino cum visitaret pastam suam, ne propter fermentum impositum vas „ excederet, invenit panes inde divino nutu factos, & bene „ coctos sine igne materiali. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Et quamvis omnipotens Dominus his, & aliis potentiæ „ suæ miraculis populum ad observationem diei Dominicæ invitaret; tamen Anglicanus populus plus timens regiam, & „ humanam potestatem, quam divinam, plusque timens illos „ qui corpus occidunt, & quod ultra faciant, non habent „ quam illum qui postquam corpus occiderit, animam potest „ mittere in gehennam; & plus timens terrena amittere, „ quam cælestia; & transitoria, quam æterna (proh dolor!) „ ut canis ad vomitum reversurus est, ad forum rerum venalium exercendum in diebus Dominicis &c. "

Hujus celebritatis rationes variis reddunt SS. PP. petitas ex mirabilibus operibus, quæ Christus Dominus in ea die perficere dignatus est; tum ex aliis prærogativis ex lege naturali, & veteri deductis. Primam assignat B. Ambrosius sermone 60. his verbis: „ Dominica dies ideo venerabilis est, „ atque solemnis, quia in ea Salvator velut sol oriens emicuit, ac propterea ipse dies ab hominibus sæculi dies Solis vocatur, quod ortus jam Sol justitiæ Christus illuminat. *PP. Synodi Trul. eam reddunt*: Quia ea die Dominus „ natus est, circumcisus, stella Regibus Magis apparuit, & „ Christus ea die baptizatus est. " Div. Augustinus *serm.* 134. aliam adjungit. Item Leo *ep.*81. his verbis: „ Hac die Apostoli prædicandi omnibus gentibus Evangelii lumen sumunt, „ & inferendum universo mundo Sacramentum regenerationis „ accipiunt. *Et appertius verbis sequentibus*: In hac die congregatis discipulis in unum, januis clausis, cum ad eos Do„ minus intrasset, insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum „ sanctum. " Ex quibus verbis constat, eo die Apostolos in „ Episcopos consecratos fuisse, cujus rei exemplo a sacris ca„ nonibus statutum est, ut Episcopi, qui in locum Apostolorum successerunt, *c. quanto de consuet. c. in novo*, 21. *dist.* die Dominico consecrarentur, *cap.* 1. 75. *distinct.* Aliam rationem adducit Maximus Episcopus Taurinensis *in sermon. de Pentec.* his verbis: „ Dominica nobis ideo venerabilis, „ & solemnis est, quia in ea Salvator, velut sol oriens, di„ scussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit. " Cui consentiunt D. August. *epist.* 19. *c.* 13. D. Isidorus *lib.* 6. *etymolog. c.* 18. Adjungamus & alias rationes, quæ ad legem naturæ, & scriptam pertinent, quas adducunt PP. Synodi 6. *can.* 28. Prima est, quod in hac die tenebræ fuerunt remotæ, & lux affulsit. Secunda, quod ea die de terra Ægypti, velut de tenebris peccati, quasi per fontem Baptismi, per Mare Rubrum populus fuit liberatus. Tertia, quod in hac die cælestis cibus manna hominibus de cælo datus est, ut facile probatur *ex capite* 16. *Exodi*, quo loci refertur manna Hebræis datum fuisse per sex dies continuos, & cessasse in septimo, qui erat Sabbatum. Unde aperte colligitur, cœpisse cælestem cibum in die Dominico. Eleganter D. Isidorus *lib.* 1. *de offic. Eccl. c.* 24. ibi: „ Ut intelligant Judæi, jam „ tunc indicatum, quod in Sabbato ipsorum gratia de cælo „ ad eos nulla descendit, sed in sancta Dominica, in qua „ primum Dominus illam pluit. " Alias prosequuntur rationes Covarruvias *lib.* 4. *variar. cap.* 19. *n.* 6. Bellarminus *lib.* 3. *de cultu Sanctorum*, *c.* 11. Suarez *de relig. lib.* 2. *tom.*1. *c.* 1. Brissonius *in dict. leg. Dominico*, Osualdus *ad Donel. lib.* 24. *cap.* 7. *litt. L.*

Rationes præstantiæ hujus diei Dominicæ hucusque recensuimus; nunc speciales ejus ritus, quibus colitur & venerator, in medium proponamus. Et primo ad hujus diei venerationem spectat sacrificio Missæ interesse, *c. missas*, *de consec. d.* 1. D. Aug. *serm.* 231. his verbis: „ Dominicum „ diem Apostoli religiosa solemnitate habendum esse sanxe„ runt; observamus ergo hunc diem, & sanctificamus illum „ a vespere diei Sabbati usque ad vesperam Dominici diei. " *Et postea subjicit*: In hac die nullus se a Missarum sacrarum „ celebratione separet, neve quis domi remaneat, ceteris ad „ Ecclesiam pergentibus. " Illustrant Baronius *anno Christi* „ 58. *n.* 88. Severinus Binius *in not. ad Conc. Agath. sub Symmacho*, *can.* 47. Azor *tom.* 1. *inst. lib. tertio*, *capite secundo*, & latius

latius prosequemur *in c. in Dominicis*, *de parochiis*, Deinde in eo die olim fideles in Ecclesia ad verbum Dei audiendum conveniebant. Justinus Martyr *in Apolog.* 2. Origenes *homil.* 7. *in Exodum*, Ambrosius *epist.* 87. & alii Patres, quos laudat Azor *dict. quæstione quinta*, Ferrarius *l.* 2. *de ritib. concion. cap.* 34. Deinceps in ea die Hymnus trium puerorum cantatur. Concil. Matiscon. 2. *can.* 4. *In Missa Dominicorum dierum*, & *solemnitatibus Martyrum Hymnus trium puerorum canretur*. In ea die aliquid a fidelibus offerebatur. Concil. Matiscon. *ubi proxime*, ibi: *Omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris*, & *mulieribus offeratur*, *tam panis quam vini*. Inter fideles panis benedictus distribuebatur. Concil. Nannet. *can.* 9. *Omni die Dominico*, & *diebus festis panis distribuatur*. Carcerati visitantur. Conc. Aurel. 5. *can.* 20. *Diebus Dominicis in carceribus existentes visitentur*. In ea die, ut omnis abfit tristitia, jejunari non potest, *capite si quis putat* 7. 30. *dist. capite Sacerdos* 7. 16. *quæstione* 7. *capite placuit* 9. *capite ne quis*, *capite jejunium* 14. *de consecr. dist.* 3. plura Garanna *in præsenti*, & nos dabimus *in c. consuluit*, *de observ. jejun.* & ob eamdem rationem nec genua flectere in ea die fideles debent, ut in sequenti capite notabimus.

7 e *Illicito opere.*) In Concilio apud Compendium, & Capitularibus Caroli legitur, *servili opere*; quæ verba usurpantur in hac prohibitione ab Ecclesiæ Patribus, & leges tam Ecclesiasticæ, quam sæculares illis verbis utuntur. D. Hieronymus *in epist. ad Justum*, *de virginit.* Greg. *lib.* 11. *epist.* 3. Concil. Aurel. 5. *can.* 27. Altissiod. *can.* 16. Cabilon. 2. *c.* 18. Narbon. *can.* 5. Matiscon. 2. *can.* 1. quorum verbum refert Crespetius *in summa*, *verb. Diebus festivis*, & *verbo Dominicis diebus*. In legibus Aleman. *tit.* 39. ubi ita cavetur: „ In diem Dominicum nemo opera servilia præsumat face„ re, quia hoc lex prohibuit, & sacra Scriptura in omnibus „ contradicit. *Theodorictus* in suo edicto, *his verbis*: Si quis „ die Dominico operam servilem fecerit, liber homo bovem „ junxerit, & cum carro ambulaverit, dextrum bovem, per„ dat; si autem secaverit fœnum, vel colligerit, vel a„ liquod opus servile fecerit, corripiatur semel, vel bis; & „ si non emendaverit, rumpatur dorsum ejus quinquaginta percussionibus. " Concil. Matiscon. 2. *canon.* 2. *Pascha nostrum*, & *sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere*. Quod etiam in suis festivitatibus Gentiles observabant, videlicet ut a servili opere in eis se abstinerent. Tibullus *ibi*:

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave, suspenso vomere, cesset opus.
Solvite vincla jugis, nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo, non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.

Et si vulgatam lectionem retineamus, illicitum opus accipiemus pro eo, quod diebus Dominicis peragi non potest, cum aliqua opera etiam eo die exequi possint, ut de alecum piscatione deciditur *in capite tertio*, *hoc tit.* & de ove in specum delapsa deducenda docetur *Matthæi c.* 12. & de vetere fossa tergenda Verrius Flaccus juris Pontificii peritissimus dicere solebat, testante Varrone: & de omni opere rustico statuit Constantinus *in lege* 3. *Cod. hoc titulo*: ad quæ ruris opera respexit Virgilius *lib.* 1. *Georgic.*

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas, & jura sinunt: rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti præstendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

Macrobius *libro primo Saturn. capite* 15. Verrius Flaccus, teste Varrone: quia feriis tergere fossas liceret, novas facere jus non esset; ideo magis viduis, quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum, facetia est: cui similis alia apud Glossam *in leg. rem non novam*, *Cod. de judiciis*: utramque jam pridem conjunxit, & comparavit Duarenus *libro quarto de sacr. Eccl. minist. capite octavo*. Quæ opera recenset Columella *libro tertio de re rustic. capite tertio*. Constitutionem tamen Constantini abrogavit Leo Imperator *in Novell.* 54. Quare postea ea tantum die Dominico fieri possunt, quæ nisi fiant, commoditas cælesti provisione concessa perit. Concil. Narbon. sub Recharedo, *can.* 4. „ Ut omnis homo, tam ingenuus, „ quam servus, Gothus, Syrus, Græcus, vel Judæus, die „ Dominico nullam operam faciat, nec boves jungantur, „ excepto si in metendo necessitas incubuerit. " Ita Rex Saxonum Occiduorum in legibus Ecclesiasticis relatis *tom.* 17. „ *Concilior. Regiæ editionis*, *fol.* 130. ibi: „ Servus si quid ope„ ris patrarit die Dominico ex præcepto domini sui, liber „ esto, dominus triginta solidos dependito: verum si id ope„ ris injussu domini sui aggressus fuerit, verberibus cæditur, „ aut saltem virgarum metum pretio redimitor. Liber si die „ hoc operetur injussu domini sui, aut servituti addicitor, „ aut sexaginta solidos dependitor. Sacerdos si in hanc par„ tem deliquerit, pœna in duplum augetur. *Conc. Palentin.* „ *anno* 1322. can. 4. Ut nullus diebus Dominicis, & festi„ vis agros colere audeat, aut artificia manualia exercere. " Unde recte Scævola Pontifex, juris publici, & privati anxie diligens, Consultus quid feriis agi liceret, referente Macrobio, respondit, *quod prætermissum noceret*. Nec ita vacandum est die Dominico ab omni opere, ut vacabant Judæi in Sabbato, qui nec divinis canticis interesse audebant, ideoque quærebant interficere Salvatorem nostrum, quia solebat Sabbato sanare ægrotos. *Joannis capite quinto*, *Lucæ capite* 13. & 14. Unde PP. Concilii Laodic. *can.* 29. ita statuere: „ Quod non oportet Christianos judaizare, & in „ Sabbato otiari, sed ipsos eo die operari; diem autem Do„ minicum præferentes, otiari, si modo possint: quod si in„ venti fuerint judaizare, anathema sit: *In cujus scholiis ita* „ *ait Balsamon*: Patres die Dominico non operari, non necessa„ rio mandarunt, sed adjecerunt, si possint fideles; si enim „ propter inopiam, vel aliquam aliam necessitatem etiam die „ Dominico fuerit aliquis operatus, prædudicium ei non af„ feretur. " Balsamonem sequitur Justellus in notis *ad can.* „ *Eccl. universf. in eo canone*, juxta quem Concilii Laodiceni canonem accipiendus est textus *in capite pervenit* 13. *de consecr. dist.* 3. ubi Gregorius Magnus damnat errores eorum, qui asserebant in die Sabbati esse feriandum; & illos, qui existimabant die Dominico nec lavacrum licere, quod judaizare appellant PP. Concilii Laodiceni.

8 f *Mercatum.*) Consonant Concilium Moguntin. 4. *can.* 98. Aurel. 3. *can.* 11. Capit. Caroli *ubi supra*. Heraldus Archiepisc. Turon. *in Capitul. Turon. capite secundo*, ibi: „ De die Dominica ut a vespera usque ad vesperam celebretur, & „ ut servilia opera, & verba turpia, atque mercata, causa„ rum audientiæ, conventusque publici absque Ecclesiasticis „ prohibeantur. " Toletanum tempore Sixti IV. anno 1473. „ *capite* 7. *Diebus Dominicis*, & *festivis ab omni servili opere fideles quiescere jubemus*. Licet enim mercatus inter opera servilia non enumeretur, cum non sit proprium, & peculiare servorum officium; ob sæcularem tamen distractionem, quam secum affert, & quia difficile est inter ementes, & vendentes non intervenire peccatum, *capite qualiter*, *de pœnitent. distinct.* 5. ideo mercatus prohibetur die Dominico in præsenti, ut docent Suarez *de relig. dict. libro secundo de diebus festis*, *capite* 29. *numero primo*. Obtinuit tamen jam olim, ut diebus festivis nundinæ celebrentur, ut refert Cassiodorus *lib. octavo*, *epist. ult. De his qui ad natale sancti Cypriani celebrandum venerant*, *mercimoniaque sua attulerant*. Et generaliter hodie his diebus nundinæ indicuntur ob majorem populi commoditatem, atque concursum, ut jam notavit Ricciulus *lib.* 6. *lucubr. c.* 24. Et licet Panormitanus, & Hostiensis in præsenti negent potuisse consuetudine hoc introduci, rectius contrarium docuerunt Cajetanus 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Azorius *lib.* 1. *mor.* 2. *p. c.* 27. Suar. *disp.* 29. *n.* 4.

9 g *Nec placitum.*) Placitum diversimode accipitur in jure, & apud exteros scriptores. Aliquando pro voto, & professione; Concil. Emerit. *can.*14. plerumque vero pro conventione, vel pacto, *l.* 1. §. *est pactio*, *ff. de pactis*, *l. si plus* 74. *ff. de evict. l.* 3. *C. de re permut.* pro rescriptis, & constitutionibus Principum, *lege si pater* 4. *C. de heredibus inst. l.* 1. *C. si pignus pigneri*. Placita Medicorum apud Plinium *lib.* 29. *cap.* 1. accipiuntur pro illorum opinionibus, ut exponit Budeus *in leg. ult. ff. de Senator*. Placitum juris pro juris regula ponitur *in lege secunda*, *ff. famil. ercisc. l. in donationibus* 12. *C. ad leg. Falcid. leg. si is qui* 5. *Cod. de ædific. privatis*: & posterioribus temporibus placitum sæpissime ponitur pro conventu, seu comitis regni, ut apud Gregorium Turon. *libro septimo*, *capite* 13. ac passim in legibus Vvisigoth. & Capitularibus Caroli, quorum plurima testimonia congerunt Lindembrogius *in glossar. verbo Placitum*, Hothomanus *de verbis feudalibus*, *eodem verbo*: in præsenti autem accipitur pro lite, jurgio, seu judiciali disceptatione, ut *in c.* 1. *ne clerici*, *vel mon. cap.* 1. *de immunit. Eccles.* Concilio Ticinensi sub Leone IV. ubi cum Patres ipsius Synodi coram Imperatore conquererentur, quod ministri Comitum, idest judicum, propter frequentia jurgia populum nimis afliligebant, ita ajunt: *Quosdam ministros Comitum propter frequentia placita pauperiorem populum nimis affligere comperimus*. Concil. Arelat. 4. *can.* 16. Turon. 3. *can.* 15. Pro quolibet placito, vel judicio accipit Fulbertus Carnot. *epist.* 80. in illis verbis: „ Ex consensu suo constituit mihi placitum, quando, & ubi hoc perfici pos„ set: sed instante termino, cum ad hoc peragendum para„ tus essem, mandavit mihi, ne me fatigarem ad condictum „ placitum veniendo. " Hinc placitare, pro litigare, seu „ judicio experiri. Gualterus Torbacensis *in vita Caroli Comitis Flandria*, *c.* 13. *Accidit*, *ut quidam miles nobilis alium nobilem in Curia Comitis de treguarum fractione placitaret*. Ex variis Galliæ, Angliæque Scriptoribus notat Vossius *lib.* 4. *de vitiis serm. c.* 16. *in fine*, & obvia est placiti vox in legibus Vvisigoth. Aleman. Ripuar. & Capitul. Caroli, quas congerit Lindembrogius *in glossar. verb. Placitum*. Prohibetur ergo in præsenti, ne die Dominico placitum, idest judicium, exerceatur; quæ prohibitio reperitur etiam in Concilio Tarracon. *can.* 4. relato a Gratiano *in capite* 1. 15. *quæst.* 4. In Concilio Ephesino, sive apud Ephisrur celebrato, ut vult Anton. Aug. *d. emend. Gratiani lib.* 1. *dial.* 3. quod extat *in capite placita* 15. *quæst.* 4. Placita singularia Dominicis diebus minime fieri decernimus. Concil. Hisp. 1. *capite* 2. in fragmentis: „ Ut nullus Episcopus, vel infra positus, die Domi„ nica causas judicare præsumat. Tribur. *canon.* 35. Nullum „ Comitem, nullum *Judicem* die Dominica placita habere „ placuit. *Aquisgran.* 2. *can.* 17. Jejunium diebus Dominicis „ tenere, & canonica interdicit auctoritas, & resurrectionis „ tanta solemnitas; & ideo placita illis diebus, nec nuptias „ pro reverentia solemnitatis sanctæ celebrare visum est. " Tandem Gregorius IX. *in capite final. hoc titulo*, protraxit hanc pro-

5 Rationes hujus festivitatis.

6 De præstantia hujus diei.

prohibitionem ad irritationem usque, videlicet, ut sententia die Dominico prolata nullius momenti sit. Circa quam prohibitionem notanda est nobilis differentia, quæ datur inter mercatum, & placitum die Dominico habitum; nam licet æqualiter prohibeantur in hoc textu, quia tamen non æqualiter irritantur mercatus, ac judiciales actus *in dict. capite ultim.* ideo Joannes Andreas, & Panormit. *ibi*, Suarez *de relig. t. 2. lib. secundo de diebus festis, capite 30. numero secundo*, recte deducunt, contractus in mercatu, aut nundinis die Dominico celebratos, seclusa consuetudine validos esse, placita vero, & sententias ipso jure non subsistere: quod & jure civili expresse cautum lego *in leg. ult. C. hoc tit.* ibi: „ Quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis „ irritetur. *Firmavit Alfonsus noster* in l. 34. titulo secundo, „ part. 3. E si en tal manera alguna cosa fuere demanda- „ da, o librada, no sera valedero lo que fiziessen, ma- „ guer fecho en plazer de ambas partes. "

10 De imperatorum constitutione.

Sed ut ad Imperatorum constitutiones in hac parte editas perveniamus, constat diem Dominicum feriatum esse jam a temporibus Constantini: ipse enim primus constituit, ut dies Dominicus feriatus haberetur, *leg. 1. Cod. Theod. de feriis*: quæ constitutio lata est Crispo 2. & Constantino 2. Coss. anno videlicet 321. secundum sententiam Concii, vel 322. juxta computationem Alexandri: cum qua lege conjungenda est lex *omnes judices, Cod. de feriis*. Et cum Constantini successores agnovissent eius diei venerationem negligi, aut intermitti, eam constitutionem innovarunt Valentinianus, Theodosius, & Arcadius *in leg. omnes 7. Cod. de feriis, & in leg. 10. Cod. Theod. de exact.* Valentin. constituit, ne Christiani ob exactiones die Dominico conveniri possint: notarunt Gothofredus *in dict. leg. 1.* Baronius *anno Christi 367. numer. 44.* Sic etiam Leo Imperator sua constitutione sanxit hanc diem feriatam esse, & ab omni legis actione liberam, ut apparet *ex leg. ultim. Cod. hoc titulo*. Quoad legem vero secundam, *Cod. hoc tit.* quæ Theodosio Imperatori tribuitur, eam plerique Codices non agnoscunt: unde Accursius, & antiqui Glossatores eam neglexerunt; imo suppositiam esse probat Alciatus, quem sequuntur Charondas & Pacius ad ipsam legem. Cujacius vero in notis ad eum textum, & *de proscript. cap. 13.* existimavit constitutionem illam fuisse promulgatam a Theodorico Gothorum Rege, perperamque eo loco compilatam fuisse, cum eam recensuisset Anianus Interpres Codicis Theodos. post legem 2. de feriis, in eodem Codice: eum sequitur Gothofredus ad eumdem textum. Ant. Concius negat eam constitutionem esse Theodorici, sed insertam esse ab Underico, ex breviario Alarici: sed de eo textu infra latius agemus.

11 h *Ad mortem, vel ad pœnam.*) A reorum quoque supplociis abstinendum esse, jam civiles leges statuerant. Seneca *libro quinto, declamat. 4.* ait: *Diebus festis intercedentibus pœnam ex lege differri*. Et Achilles Statius *libro septimo de Clitophontis*, & Leucippus *de amoribus*, scribit sacrificii tempore tantisper a supplicio cessandum esse, dum rei divinæ finis fuerit impositus. Et Svetonius *in Tiberio, capite 61.* in primis inter Tiberianæ crudelitatis exempla refert, quod nullus dies ab hominum pœna cessaverit, ne religiosus quidem, ac sacer. Apud Athenienses ita cautum legimus. *Deliorum festos dies, dum Delum itur, reditur, damnatorum suppliciis ne funestato*, &c. Ex Platone, & Xenophonte refert Samuel Petitus *ad jus Atticum libro primo, titulo primo, pag. 50.* Unde Imperator Honorius constituit, ut in singulis diebus Dominicis rei carcerati de carcere educerentur, quo posset victualis subsistantia illis ministrari, & ut ad balneum prædictis diebus sub fida custodia ducerentur, *leg. ultim. Codicis Theod. de custod. reor. lege nemo, de indulg. crimin.* in eodem Codice: imo quia Kalendæ Januariæ in magno cultu apud Romanos erant, ut infra probabimus, ideo nefas erat eo die aliquem supplicio afficere: Macrobius *lib. 1. Saturn. c. 10.* Nec contrarium probatur ex D. Gregor. *l. 7. indict. 1. epist. 29.* dum nullum excipit diem, quo non celebrentur natalitia Martyrum; & ex Svetonio *in Claudium, c. 29.* in illis verbis; *Syllanus abdicare se Prætura ante 4. Kalend. Januar. moriqueinitio anni coactus fuit*. Ex quibus constat, a sævissimis Imperatoribus, omnibus diebus indistincte reos supplicio affectos, nec a cæde temperatum fuisse. Nam dicendum est, quod licet Romanorum legibus diebus festivis piaculare esset supplicium a nocentibus sumere; tamen in aliquibus delictis nullis diebus, nec etiam Paschæ temperatum fuisse, *lege 8. Cod. Theod. de indulgent. crimin.* ubi ita Imperatores Gratianus, Valentin. & Theod. rescripserunt: „ Nemo de- „ inceps tardiores fortassis affatus nostræ perennitatis expe- „ ctet: exequantur judices quod indulgere consuevimus; „ ubi primum dies Paschalis extiterit, nullum teneat car- „ cer inclusum, omnium vincla solvantur: sed ab his secer- „ nimus eos, quibus contaminari potius gaudia, lætitiam- „ que communem, si dimittantur, advertimus; quis enim „ sacrilego diebus sanctis indulgeat? Quis adultero, vel in- „ cesti reo tempore castitatis ignoscat? Quis non raptorem „ in summa quiete, & gaudio communi persequatur instan- „ tius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quiesce- „ re sepultos quadam sceleris immanitate non finit; patia- „ tur tormenta veneficus, maleficus, adulteratorque mone- „ tæ, homicida quod fecit semper spectet: reus etiam Ma- „ jestatis de Domino, adversus quem talia molitus est, ve- „ niam sperare non debet. " *Dat. Kalend. Mart. Med. Arcad. 1. & Bautone COSS.* Post quæ verba *in leg. 3. Codicis de episcop. aud.* statim annectitur lex *6. Codicis Theod. de indulg. crimin.* Sed subscriptio emendanda est ex superiore, quæ extat *in Codice Theodos.* ut jam notavit Samuel Petitus *ad jus Atticum libre primo, titulo primo, pag. 41.* Idem statuerunt de Isauris Imperatores *in lege provinciarum 10. Codice hoc titulo*: Quod nemini mirum videbitur, qui quanto odio, quantaque invidia vicinas sibi provincias infestabant, agnoverit, ut ex Dione, Marcellino, & Strabone probat Brissonius *in d. lege Dominico, pag. 51.* Et etiam de eo, qui adversus publicam auctoritatem aliquid accipit, respondit Ulpianus *in lege solet 3. §. fin.* ibi: *Item in eum quidquid nundinarum nomine adversus communem utilitatem acceperit, omni tempore jus dicitur*: id est, in eum, qui nundinatores vectigalibus oneravit, constitutam commerciorum libertatem sordibus polluens, ut exponit Fornerius *lib. 1. rerum quotid. capite 6.* Unde cum religionis nostræ Catholicæ priscos cultores magno odio provinciarum Præsides persequerentur, nec festivis diebus ab eorum cæde cessabant, ut conqueritur Philo Judæus in libro, quem scripsit in Flaccum Ægypti Præsidem, ubi ait: „ Mos „ est in neminem damnatum animadvertere, donec solemnes „ celebritates, natalitiaque Augustorum festa prætereant: at „ ille per ipsos dies injustis pœnis affligebat homines inno- „ xios. *Et paulo post*: Novi quosdam cruci affixos, instante „ tali festo de cruce depositos, & ad sepulturam cognatis „ ex more redditos; quandoquidem decebat, vel ad mor- „ tuos redire aliquem fructum ex Imperat. natalibus: at iste „ non mortuos deponi de crucibus, sed vivos crucifigi jube- „ bat. " Ad quæ sævitiæ, & persecutionis tempora referendus est D. Gregorius *ubi supra*.

12 i *Sacramenta.*) Id est juramenta; Sacramenti enim verbo ea significari solent, quæ respectum habent ad rem sacram, divinam, & Ecclesiasticam; unde pecunia, quæ in æde sacra a litigatoribus deponebatur, a sacro illo loco Sacramentum dicebatur, Festus verbo *Sacramentum*: cujus judicialis moris meminit Varro *lib. 4. de ling. Latina*, his verbis: „ Qui petebat, & qui inficiebatur de rebus aliis, uterque ingen- „ tes asses æris ad Pontificem deponebant; de aliis rebus „ item certo alio legitimo numero assium: & qui judicio vi- „ cerat, suum sacrum a sacro auferebat. " Inde sacramento contendere apud Ciceronem *lib. 10. de oratore*. Illustrant Brissonius *de formulis lib. 5. pag. 430.* P. Pitheas *lib. primo adverf. cap. 18.* Revard. *pro Tribun. cap. 10.* Franc. Pollettus *lib. septimo histor. for. capite quinto*, Pancirola *lib. 1. variar. cap. 33.* qui de hac pecunia in æde sacra deposita accipiunt textum *in leg. 1. §. proinde, ff. de variis & extraord. cognit.* Sacramentum plerumque in utroque jure accipitur pro juramento; quia in eo attestatio sacra, sive invocatio divini Numinis datur, *cap. Sacramento, cum duobus seqq. 2. quæst. 5. cap. non est 22. quæst. 4. cap. vidua, de regul. lege ult. Cod. de judic. in authent. Sacramenta, Cod. si adversus vendit.* Notavit Zerda *in adverf. cap. 45. num. quarto*. Inde Sacramentales dicuntur personæ jurantes in purgatione alicujus, *cap. 1. §. fin* autem, si de investitura feudi, in usibus feudor. *ibi*: Si vero proba- „ re non potuerit in prædicto modo, dabitur ei defensio cum „ duodecim Sacramentalibus: " hoc est illis, qui adhibiti erant ad removendam suspicionem, ut litigantes super feudo, & feudi qualitate in eorum verba jurarent, *cap. unic. §. Sacramentum, de consuetudine & usu feudi*. Inde etiam juramentum a militibus præstitum dicitur Sacramentum *in l. miles, l. 1. ff. ad leg. Jul. de adult. l. omnium, Cod. de immun. concessa, in Theod. l. ab administratione 8.* ibi: *Administratione tutelæ religio Sacramenti eripit, Cod. de legat. leg. ex militari 11.* ibi; *Si Sacramenti fides recepta sit, ff. de testam. milit. l. mulierem 14. ff. de his quibus ut indign. leg. 6. Cod. Theod. de re milit.* ubi pro *impegro*, legendum est *integro*: Vegetius *libro primo de re milit. cap. 5.* Jul. Ferretus *eod. tr. pag. 373.* P. Herodius *lib. 10. rer. jud. titul. 5. cap. 17.* Brissonius *de form. pag. 380.* Vulturius *de re milit. lib. 6. cap. 4. & 5.* Lipsius *de militia Romana libro primo, cap. 6.* Filesacus *libro secundo select. capite jurisjurandi religio*. Svetonius *in Galba, cap. 16.* ubi Marcellus Donatus. Cujus Sacramenti formam referunt, & illustrant Rosinus *lib. 10. antiquitat. capite 13.* Sigonius *de antiquo jure Rom. libro primo, c. 15.* Faber *libro primo semestr. cap. 20.* Cujacius *lib. 6. observ. cap. 11.* Savarrus *ad Sidonium libro primo, epist. 7.* Casselius *lib. 1. variar. cap. 8.* A qua juramenti acceptione milites, qui a militia mittebantur, sacramento solvi dicebantur, *leg. 2. §. miles, ff. de his qui not. infam. lege mulierem 14. ff. de his quibus ut indign. lege miles 11. ff. ad l. Jul. de adult. lege finali, ff. de re milit.* Illustrant late Germonius *libro tertio in sacr. immunit. capite finali*, Durantius *lib. 1. variar. capite 8.* Marcell. Donatus *ad Svetonium ubi supra*, Ambianas *ad Tertull. in Scorp. cap. 4. observ. 2.* Vasconcellos *ad titul. de Sacram. non iter.* Ayala *de jure belli, libro tertio, cap. 6.* Grotius *eod. tr. lib. 1. cap. 2. §. 3.* Hanenius *de jureiur. c. 22. & 23.* Prohibetur ergo a Patribus in præsenti, juramenta præstare diebus Dominicis, quod etiam decretum fuit in Concilio apud sanctum Medardum, relato *in c. decrevit 22. quæst. 5.* in illis verbis: *in Diebus Dominicis, nisi de concordia & pacificatione nullus supra sacra Evangelia jurare præsumat*. Sed quodnam jusjurandum hic prohibeatur, judiciale videlicet, an extrajudiciale, non liquet apud interpretes. Aliqui existimarunt, tantum juramentum solemniter in judicio præstandum prohiberi, moti ex eo, quia Patres in præsenti post prohibiti onem placiti, juramentum subjiciunt, quod non leve argumentum præbet, de hoc tantum juramentum judiciali sensisse. Contrarium vero, imo utrumque juramentum prohiberi, alii docent: moventurque ex eo, quia si sola juramenti judicialis præstantia prohiberetur, supervacua esset juramenti specialis inhibitio, cum in generali placiti prohibitione comprehenderetur. In hoc dubio secundam hanc sententiam præfero, quam invento probasse P. Suarez *dict. l. 2. de diebus festis, c. 30. nu. 17.* qui etiam alia ratione movetur, deducta ex exceptione verbis illis comprehensa, *nisi pro pace*, quam sic expendit. Juramentum pro pace præstari die Dominico permittitur: atqui hoc juramentum pertinet ad pactiones, conventionesque juratas: igitur recte deducitur, juramentum super eis diebus Dominici præstare prohiberi: excipitur tamen casus necessitatis, & merito, cum necessitas faciat licitum, quod alias erat illicitum, *c. ad limina 30. qu. 1. cap. quod non est, de R. J. l. 6. c. si quis propter, de furtis*: unde urgente necessitate permittuntur quæ alias prohibentur, *c. querelam, c. brevi, de jurejur. c. si nulla 13. q. 8. c. presbyteros, 50. d. c. discipulos, de confecr. d. 5.*

13 De aliis diebus Dominicis prohibitis.

Hucusque recensuimus humanos actus, quos in diebus Dominicis exerceri prohibuerunt in præsenti Patres Concilii Compendiensis: illis adjungamus alios petitos ab utroque jure. Et primo occurrit spectaculorum, & ludorum editio, quæ omnino diebus Dominicis prohibita est, *leg. 2. lege Dominico, Cod. de spectaculis, in Theodos. leg. ult. Coe. hoc tit.* ubi Imperator Zeno de festivitate diei Dominici agens, statuit: „ Nec hu- „ jus tam religiosi diei otia relaxantes, ab obscœnis quem- „ quam nos patimur voluptatibus detineri; nihil eodem die „ sibi vindicet scena theatralis, aut circense certamen, aut fe- „ rarum lacrymosa spectacula; & si in nostrum ortum, aut „ natalem celebranda solemnitas incederit, differatur. " Illustrant Brissonius *in dict. leg. Dominico, in fine*, P. Faber *libro tertio agonist. capite 39.* quam prohibitionem protraxerunt PP. sextæ Synodi *can. 66.* per totam hebdomadam Paschalem, in illis verbis: „ Sancta Christi Dei nostri resurrectio- „ nis die usque ad novum Dominicum, tota leptimana in Ec- „ clesiis vacare fideles jugiter oportet, psalmis, & hymnis, „ & spiritualibus canticis in Christo gaudentes, sestumque ce- „ lebrantes, & divinarum scripturarum lectioni mentem adhi- „ bentes, & sanctis mysteriis jucunde, & laute fruentes. Sic „ enim cum Christo exaltabimur, & una resurgemus. Nequa- „ quam ergo prædictis diebus equorum cursus, vel aliquod „ publicum fiat spectaculum. " Deinde priscis Ecclesiæ canonibus nuptias contrahere diebus Dominicis prohibitum fuit. Concil. Aquisgr. 2. *can. 17.* in illis verbis: „ Dies Domini- „ cos tenere est canonica interdictio, & auctoritas, & resur- „ rectionis Dominicæ tanta solemnitas: ideo placita illis die- „ bus, nec nuptias, pro reverentia tantæ solemnitatis cele- „ brari visum est. " Ex Conc. Triburiensi idem refert Burchardus *l. 19. Decreti, c. 157.* ibi: *Si quis nupserit die Dominico, petat a Domino indulgentiam, & quatuor dies pœniteat*. Imo & accessus ad uxorem propriam maritis prohibebatur, alias pœnitentia illis injungebatur, ut constat ex auctoritatibus congestis a Gratiano *in 33. q. 4. in Pœnitent. Romano* apud Anton. August. *tit. 3. c. 20.* In qua parte extat severa D. Aug. sententia *serm. 244. de temp.* in illis verbis: „ Qui uxorem suam „ in fluviis positam agnoverit, aut in die Dominico, aut qua- „ libet alia solemnitate se continere noluerit, qui ex eo con- „ cepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam forte de- „ moniaci nascentur. *Notavit Mendoza* l. 1. Conc. Illib. c. 6. "

C A P U T II.

Alexander III. a *Terdon. Archiepiscopo.*

QUoniam in parte vestram volumus prudentiam certa cognitione tenere, quod licet scriptum sit: De vespera in vesperam celebrabitis Sabbata vestra; sestorum tamen principium & finis juxta eorum qualitatem, & *b* diversarum regionum consuetudinem debet attendi. Et sicut magnitudo dierum exigit, prius incipere, & tardius terminari. *Et infra*: Diebus autem Dominicis, & aliis præcipuis festivitatibus, sive inter Pascha, & Pentecosten, *c* genuum flexio nequaquam debet fieri, nisi aliquis ex devotione id velit facere in secreto. In consecrationibus autem *d* Episcoporum, & Clericorum ordinationibus consecrans, & consecratus tantum genua flectere possunt, secundum quod consecrationis modus requirit. Præterea festivitas sanctæ *e* Trinitatis secundum consuetudines diversarum regionum a quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, ab aliis in Dominica prima ante adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem, cum singulis diebus Gloria *f* Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & cetera similia dicantur, ad laudem pertinentia Trinitatis.

N O T Æ.

a *Terdonensi.*) Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. c. 2.* Cujac. tamen *in c. 1. hoc tit.* existimat legendum esse, *Terdonensi Episc.* quia Ecclesia Terdonensis tantum est Episcopalis, suffraganea Archiepiscop. Mediol. Sed refellitur Cujacii sententia, tum quia in calce hujus textus Prælatus, cui missa est præsens decisio, appellatur Archiepiscopus, & usum pallii habere supponitur, ibi: „ Quare tibi frater Ar- „ chiepiscope, de usu pallii eo die, quo sanctæ Trinitatis se- „ stivitas celebratur, certum nequaquam possumus dare respon- „ sum. " Quæ verba omissa fuerunt a Raymundo in hac collectione. Tum etiam, quia in Provincia Mediolanensi non reperitur Ecclesia Terdonensis, sed Tertonensis. Quare omissa Cujac. emendatione legendum existimo *Triburiensi*, aut *Turonensi*, cum consultatio in hoc textu Alexandro facta fuisset circa diem, in quo celebranda esset festivitas SS. Trinitatis, & constet Ecclesiam Gallicanam celebrare festum Sanctissimæ Trinitatis in Octava Pentecostes, *c. 3. hoc tit.* unde alicui Prælato ipsius Provinciæ missa est præsens decisio.

b *Diversarum regionum.*) Grethserus *l. 1. de festis, c. 13.* refert in Belgico-Romano statim a vespere, pulsatis, & auditis cymbalis, ab omni opere, & judiciali strepitu Belgas cessare. Hector Boccius *l. 3. histor. Scotiæ* refert in regno Scotiæ olim Sabbato signum dari cymbalo, ut ab omni opere a vespere cessetur; quam consuetudinem exemplis illustrat P. Herrera *l. 2. de orig. divin. offic. c. 19.*

c *Genuum flexio.*) Consentiunt Patres Conc. Nicæni, ubi contra Hæreticos Quatuordecimanos resurrectionem Domini nostri negantes, ideoque his diebus flexis genibus orantes, *in can. 20.* ita statuerunt: " Quoniam sunt in Dominico die quidam ad „ orationem genua flectentes & in diebus Pentecostes, placuit „ de hoc sanctæ, & magnæ Synodo cunctos in omnibus lo- „ cis consonanter, & consentienter statutes Dominum orare de- „ bere. *Refertur* in c. quoniam: de consecr. dist. 3. Firmant „ Patres Synodi 9. in Trullo can. 91. Dominicis genuflecte- „ re a divinis nostris Patribus Christi resurrectionem hono- „ rantibus canonice accepimus; ne ergo hujus observantiæ evi- „ denciam ignoremus, fidelibus manifestum facimus quod „ post vespertinum Sacerdotum ad altare Sabbato ingressum, „ ex consuetudine, quæ servatur, nemo genuflectat usque ad „ sequentem vesperam in die Dominico in qua post ingres- „ sum in vespertino, seu completorio genua rursus flectentes „ Domino preces sic offerimus. Conc Constant. *c. 20.* Tertul. *de corona milit. c. 3.* Die dominico jejunium nefas ducimus, „ & de geniculis adorare; eadem immunitate a die Paschæ „ usque ad Pentecosten gaudemus. *Hilarius* prolog. in Psal- „ mos: Et hæc quidem Sabbata Sabbatorum, & ab Aposto- „ lis religione celebrata sunt, ut his quinquagesimæ diebus „ nullus neque in terram stato corpore adoret. *D. Hieron.* in „ dial. adversus Luciferianos, c. 4. Die Dominico, & per „ omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & jejunium „ solvere, multaque alia, quæ scripta non sunt, rationalis fi- „ bi observatio vindicavit. *D. Ambr. serm. 61.* de Pentecoste, „ *qui etiam est apud Maximum Turinensem*: Scire debet Sancti- „ tas vestra, hanc sanctam Pentecostes diem qua ratione cu- „ remus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit „ nobis jugis, & continua festivitas, ita ut hoc omni tem- „ pore, neque ad observandum jejunium, neque ad exoran- „ dum Deum genua succidamus; sed sicut Dominica solemus „ facere, erecti & serfati resurrectionem Domini celebra- „ mus. *D. Aug. epist. 119. c. 15.* Quinquagiata dies celebran- „ tur post Domini resurrectionem jam in figura, non labo- „ ris, sed quietis & lætitiæ; propter hoc & jejunia relaxan- „ tur, & stantes oramus, quod est signum resurrectionis; un- „ de etiam ab omnibus diebus Dominicis id ad altare obser- „ vatur. *Justin. Martyr* in qq. respons. Quod vero die Do- „ minico genua non flectimus, signum est, & designatio re- „ surrectionis. *Et statim*: Genua non flectimus, quoniam pa- „ ri est cum die Dominico potestate. *Cassianus* de nocturna „ orat. l. 2. c. 18. Hoc quoque nosse debemus, a vespera Sab- „ bati, quæ lucescit in diem Dominicum, usque ad vespe- „ ram sequentem, apud Ægyptios genua non curvari, sed „ nec totis quidem quinquagesimæ diebus, a Pascha videlicet „ ad Pentecosten, neque custodiri in eis jejuniorum regu- „ lam. " Isidorus *l. 1. de Eccles. offic. capite 33.* D. Basil. *ad Amphiloch. de spiritu sancto*. Illustrant Baronius *anno 58. num. 58.* Bellarminus *libro tertio de cultu Sanctorum, capite 11.* Brissonius *in lege Dominico, Codic. de spect.* Pamelius, & Zerda *in dict. capite tertio Tertul.* idem Zerda *in adverf. capite 30. & 130.* Rosweid. *in onomast. verb. Genuflexio*: Albaspin. *lib. primo observ. capite 15. & 16. & in canon. 82. Concil. Carthagin.*

Balsam. *in diff. can. 96. Synod. 6.* Justelus *in notis ad can. 20. Conc. Nicen.* Cresol *lib. 3. mystag. cap. 26.* Gazæus *in notis ad Cassianum, ubi supra*, Covar. *lib. tertio var. cap. 19. numer. 7.* Jodocus Coccius *libro 6. thesauri, artic. 6.* Espenceus *de adorat. Euchar. l. 2. cap. final.* Baronius *anno 291. n. 19.* Menardus *ad concord. reg. c. 7.* Vinnius *ad collat. Conc. Florent.*

4 Sed pro exactiori hujus textus illustratione sciendum est, tam apud Judæos, & Gentiles, quam Christianos varium fuisse orandi modum, ut referunt Brissonius *de formulis, fol. 43.* Albaspin. *l. 1. observ. capite 16.* Baronius *anno 58. nu.102. & anno 106. & 202. n. 4. & an. 259. n. 13. & anno 262. num. 67.* Judæos aliquando sedentes orasse, probatur *ex c. 6. Deut.* ibi: *Meditabor sedens in domo tua*. Et de B. Paulo, aliisque discipulis synagogam ingredientibus legitur *actuum capit. 13.* Ingressi synagogam die sabbatorum sederunt. Et B. Virginem, sanctosque Apostolos sedentes expectasse Spiritum sanctum notum est. Stantes etiam orare præcipitur *Numeror. c. 26. Stent Levitæ, & ministrent in tabernaculo fœderis*, Et *Deuteron. cap. 5. Tu vero hic sta mecum, & loquar tibi mandata mea*. Stare siquidem coram Deo, aut superiore, singulare est reverentiæ signum, *c. 7. & 9. Apocal.* Angeli sunt stantes ante thronum Dei. *Et libro primo Regum, c. 16.* refertur, quod venit David ad Saul, & stetit coram eo. Similiter Gentiles stantes orabant, ut constat ex Martiali *l. 12. epigr. 78.*

Stans summo resupinus usque in unguem,

Etsi genuflexionem plerumque usurpaverunt, ut probant P. Martinus Roa *l. 4. singul. c. 1.* Brissonius *de formulis l. 1. pag. 40.* Rosweidus *in onomast. verba Genuflexio*, P. Theophilus Raynaud. *1. 4. l. 4. de relig. sect. 3. c. 1.*

5 Idem etiam modus orandi, videlicet stantes, jam a temporibus Apostolorum in supradictis diebus, videlicet Dominicis, & a Pascha usque ad Pentecosten, receptus fuit. Justinus *q. 65. ad orthodoxos*. B. Irenæus Martyr, & Episcopus Lugdunensis *l. de Paschate*. Quod vero refertur *Matthæi cap. 20.* D. Paulum positis genibus in littore Tyri orasse inter Pascha, & Pentecosten, Bar. existimat *anno 58. n. 58.* ideo fecisse, quia adhuc non invaluerat consuetudo non orandi de geniculis, sed paulo post eam cœpisse. Lorinus vero *in d. c. 20. Actuum*, existimat discrimen esse constituendum inter preces publicas, & privatas: in solemnibus existimat receptum fuisse prædictis diebus genua non flectere; in privatis vero de geniculis adorare usitatum fuisse; unde D. Paulum privatim orasse in littore Tyri, non vero solemniter. Frequentior tamen apud omnes adoratio fit flexis genibus, ut constat ex adoratione, quam reges Orientis Christo nato exhibuerunt, ut refertur *Matthæi c. 2. Et procidentes adoraverunt eum*. Et *c. 6. Danielis*, ibi: *Tribus temporibus in die flectebat genua*. Salomon *l. 3. Regum, c. 8.* utrumque genu orans in terra fixerat. Unde omne genu Domino flectendum monet Scriptura sacra *Psalm. 21. Isaiæ c. 45.* & Paulus *ad Romanos capite quarto, Philip. capite 2. Ephes. capite 3.* ait: *Flecto genua ad patrem Domini nostri Jesu Christi*. Christum quoque in terra positum Patrem adorasse, legitur *Luca c. 23.* & Christiani, tam occulte, quam palam orantes sic facere consueverant. D. Hieronymus *in Isaiam c. 45.* Moris est enim Ecclesiastici Christo genuflectere; quod Judæi mentis superbiam demonstrantes omnino non faciunt. Et *de viris illustribus, in sancto Jacobo*, ibi: „ Sanctus Jacobus cognomento Justus pro populo flexis genibus assidue deprecabatur, adeo ut in camelorum duritiem ejus genua transisse crederentur. *Tertul. ad Scapul.* Quando non geniculationibus, & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? *Justinus* quæstione 115. ad Orthodoxos. Genuum inclinatio in precationibus magis peccatores Deo commendat, quam si stantes orent, magisque ea res divinam permovet commiserationem. " Plura adducit Rosweidus *in onomast. verbo Genuflexio*. Hic tamen ritus omni tempore in Ecclesia observabatur, præterquam die Dominico, & quinquagesima illa, quæ datur inter Pascha, & Pentecosten, ubi stantes tantum fideles orabant. Cujus diversitatis ratio redditur a Justino *in dictis qq. & respons.* his verbis. " Genuum per sex dies inclinatio symbolum est, & nota lapsus pro peccato nostro; quod vero die Dominico genua non flectimus, signum est, & designatio resurrectionis, per quam gratia Christi, & a peccatis, & a mortificatione, in ejus morte liberati sumus: „ in Pentecoste genua non flectimus, quoniam par ei est cum die Dominico potestas. *Basilius de Spiritu Sancto*: Quoties „ genua flectimus, & rursus erigimur, ipso facto ostendimus, „ quod ob peccatum in terram delapsi sumus, & per humanationem ejus, qui creavit nos, in cœlum revocati sumus. „ *Et* homil. 13. de Baptismo: Quid expectas beneficio febris „ baptizari? quando nec poteris manum in cœlum tollere, nec „ in pedes erigi, nec genua adorando flectere. " Cabasillus *in exposit. Liturgiæ, c. 24.* Damascenus *libro de hæresibus*, explicans nomen cujusdam sectæ hæreticorum, sic ait: *Agonicelitæ sunt, qui quoties orant, genuflectere & provolui nolunt, sed semper stantes precantur*. Illustrant Balsam. *in can. 20. Synodi Constantin.* Zerda *in adversf. c. 130. n. 16.* Roa *l. quarto singul. capite primo* Brissonius *ubi supra*, Onufrius *de stationibus urbis, in initio*, Gazæus *ad Cassian. ubi supra*, Albaspin. *d. c. 15. & 16.* Illud tamen prætermittendum non est, pœnitentes omni tempore genu flectere consuevisse. Concil. Carthagin. *can. 82.* ibi: *Pœnitentes etiam remissionis diebus genua flectant*. Ubi *dies remissionis*, recte interpretatur Albaspineus *in notis ad ipsum canonem*, diçs Dominicos, & quinquaginta illos a Pascha usque ad Pentecosten defluentes. Cathecumenus etiam, qui alias stans orabat, genua flectere debebat. Concil. Neocæsar. *can. 5.* illic: *Cathecumenus, id est audiens, qui ingreditur in Ecclesiam, & stat cum cathecumenis, si peccata fuerit visus: figens genua audiat verbum, ut se abstineat ab illo peccato*. Concil. Carthag. 4. *can. 74.* Pœnitentiæ enim signum erat primis Ecclesiæ sæculis de geniculis adorare, *c. sacerdos 26. q. septima, c. scitote, 76. d.* Concil. Aurelian. *1. can. 14.* ubi pulchre Pa„ tres omnium dicta complectuntur his verbis: " Ut pres„ byteri plebibus annuntient, quod in quadragesima, & jeju„ nio quatuor temporum tantummodo ad missarum solemnia „ genua flectere debeant; in Dominicis econtra diebus, vel „ ceteris festis, a vespera usque ad vesperam non flectant „ genua, sed stantes incurvati orent, nec quisquam uno go„ nu solo tenus impresso orare præsumat, sicut Judæi irriden„ tes Dominum in passione ejus fecisse leguntur; sed utraque „ genua terræ figat. Ait enim Apostolus; Flecto genua mea „ ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. " In quibus ultimis verbis satis damnatur abusus eorum, qui adeo indevote Ecclesiam ingrediuntur, ut uno tantum genu flexo Missam, aut divina officia audire audeant, quod & magnopere detestantur Gentiles in suis sacrificiis. Plinius Major *l. 28. c. 6.* in illis verbis: „ Item poplites alternis genibus imponi; ideo „ hæc in consiliis Ducum, Potestatumve fieri majores vetuis„ se velut omnem actum impedientia vetuere, & sacris vo„ tisve simili modo interesse. " Pudeat, Christianos, quod horrere in suis falsis sacrificiis Gentiles, ipsos in vero Dei cultu admittere. In die tamen Parasceves genua flectuntur, nisi quando oratur pro perfidis Judæis, ut docent Amalarius *lib. 1. de offic. c. 13.* ex quo non recte Meursius *in Mantissa sua, c. 24.* docuit die Parasceves genua non flecti, ut eum refellens notavit Novarinus *l. 12. sched. c. 30.*

d *Episcoporum, & clericorum*.) Quibus diebus ordinationes istæ fieri possint, exposui *in c. 1. de tempor. ordin.*

e *Genua flectere*.) Inter alios sacros ritus in susceptione ordinum ab Ecclesia præscriptos, & usitatos, genuflexio ab Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis facienda coram consecrante recensetur. Pontif. Rom. *tit. de ordin. §. in omnibus autem*, Dionysius *de Eccl. hierarc. c. 5.* ubi illud discrimen inter ordinationem Episcopi, Presbyteri, & inferioris ministri assignat, quod Episcopi, & Presbyteri utrumque genu flectant, inferiores vero ministri tantum unum. Quam differentiam accurate observandam jubet Euchologium Græcorum in ordinatione Presbyteri, & Diaconi. Quæ genuflexio in inferioribus gradibus omittitur, ut jam notavit Franc. Hallierius *de sacris electi. tit. de ritibus circa ordin. c. 7. art. 1.* hujus ritus, & discriminis significatio in eo consistit, ut ad divina officia subeunda accedentes, tenuitatem nostram, & imbecillitatem protestemur, viriumque nostrarum parvitatem agnoscamus; nam ut ait D. Thomas *in Paulum cap. 3. vers. 14.* quia in genu est fortitudo, quando quis genu flectit, protestatur debilitatem suæ virtutis: cum enim Ecclesiasticus ordo captum nostrarum virium excedat, & ut fuse exponit Nazianz. *oratione prima*: „ Quodlibet mundanæ dignitatis fastigium ex„ superet, congruum est, ut cum ad gradus Ecclesiasticos ac„ cedimus, genua flectentes, nostram tenuitatem agnoscamus, „ ut cum Apostolo tunc potentes simus, cum infirmamur, „ seu cum imbecilles coram Deo protestamur. " Ad Corint. 2. *c. 12.* Accedit alia ratio; nam cum anxie, & solicite aliquid petimus, genua flectere solemus, juxta D. Ambr. *l. 6. hexamer. c. 9.* ibi: „ Flexibile genu, quo præ ceteris Domi„ ni mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia promovetur; un„ de ordinator, & ordinandus genua flectunt, ut divinam „ gratiam uterque digne promoveat; unus recipiat, alter con„ ferat. " Aliam rationem expressit Dionysius *d. c. 5.* videlicet, ut per genuflexionem ordinandi propriam vitam Deo esse subjectam profiteantur: unde major genuflexio desideratur in Episcopo, Presbytero, vel Diacono, quam in inferioribus ministris; nam quo gradus nobilior est, ad quem promovendi sumus, eo magis nostræ tenuitatis conscientiam cognoscere debemus, & majorem subjectionem profiteri, ut quo celsior est per ordinationem ascensus, eo profundior fit per humilitatem descensus. Unde verba, quæ sequuntur in hoc textu: *Secundum quod consecrationis modum requirit*; referenda sunt ad discrimen supra assignatum, videlicet flectendi utrumque genu in majoribus ordinibus, in minoribus vero unum tantum.

f *Sancta Trinitatis*.) Hujus festivitatis officium peculiare præceptum, aut specialis dies celebrationi assignatus non fuit primis Ecclesiæ sæculis, usque dum pullulante hæresi Arriana, Hilarius, Eusebius, Ambrosius proprium officium cum canticis, lectionibus, & hymnis propriis disposuerunt, ut diebus Dominicis celebraretur hoc magnum mysterium. Reperiuntur orationes, & præfationes in Sacramentali D. Gregorii *f. 35.* notavit Suarez *1. 1. de relig. l. 2. cap. 4. num. 16.* Non tamen dies celebritati præscriptus fuit, usquedum octavo sæculo Ecclesiæ, temporibus S. Bonifacii Moguntini Episcopi, & Martyris, officio composito, & disposito ab Alcuino, cœpit celebrari die Dominica, octava videlicet Pentecostes in Ecclesiis aliquibus; in aliis vero Dominica ante primam Adventus; & cum in Ecclesia Gallicana disceptatum esset, quo die celebrandum esset hoc mysterium; obtinuit tandem in ipsa Dominica, Octava Pentecostes celebrari debere, ut referunt Berno Abbas Hugienfis *de quibusd. reb. ad Miss. spect. c. 3.* Micrologus *de Eccl. obs. c. 60.* Unde Gallicana Ecclesia Octavam Pentecostes non agnoscit, quia diem illum SS. Trinitati dicavit; de qua Eccle-

Ecclesia accipiendus est textus *in cap. 3. hoc tit.* ubi Clemens III. asserit, festum Pentecostes carere Octava, quia videlicet ipsa dies dicata est SS. Trinitatis Domino decantetur. „ Ex Usuardo, Sigeberto, & aliis refert Herrera *l. 2. de orig. divin. of. fic. c. 31.* a quo tempore usque ad nostra semper observatum invenio, ut in horis canonicis, excepto defunctorum officio, aut passionis Dominicæ, *Gloria Patri, &c.* decantetur; in illis autem officiis, propter eorum mœrorem & tristitiam omittatur. Concil. Tolet. 4. *can. 14.* „ Sunt quidam, qui in fine „ responsoriorum gloriam non dicunt, propter quod inter ea „ inconvenienter sonat; sed hæc est discretio, ut in latis se„ quatur gloria, in tristioribus repetatur principium. „ Hæc festivitas. SS. Trinitatis caret Octava; ratio est, omissis traditis a Petro Ruz *in ceremoniali Toletano*, quia festum hoc non tam est festum tanti mysterii, quam veluti recollectio cultus totius anni, ut notavit Suarez *de relig. lib. de festis, c. 4. n. 17.* post auctorem Micrologi *c. 60.* omnibus Dominicis SS. Trinitati in universa Ecclesia exhibiti, & congrue indicti eo tempore, quo jam constituta in Pentecoste lege nova, & Ecclesia Christiana, Luna mystica, per elevatum Solem nostrum stante in ordine, seu obsignatis omnibus ad Christum attinentibus mysteriis, referata est Augustissimæ Trinitatis notitia, ut ait Theophilus *tom. 15. in Heterod. part. 3. capite 2. fol. 268.*

C A P U T III.

Idem a *Tribur. Archiep. & ejus Suffraganeis.*

Licet tam veteris, quam novi testamenti pagina *b* septimum diem ad humanam quietem specialiter deputavit, & tam eum, quam alios dies *c* majestati altissimi deputatos, necnon natalitia *d* Sanctorum Martyrum Ecclesia decernit observanda, & in his ab omni opere servili cessandum: Nos tamen, quibus ab omnium provisore Ecclesiæ regimen est commissum, super iis, quæ necessitas exigit, Christi fidelibus tenemur commode providere, ut si quando eos non servili operi, id est actioni peccati, sed necessaria victui, & vestitui quærendo forte intendere contigerit, volumus ut eis Apost. Sedis providentia misericordia consueta subveniat. Inde siquidem est, quod cum regio vestra non multum frugibus abundet, & mare, in quo populus majorem habere consuevit sustentationem, sterilius solito effectum fuisse multorum relationibus cognoscentes, auctoritate B. Petri, & nostra indulgemus, ut liceat parochianis vestris diebus Dominicis, & aliis festis, præterquam in majoribus anni sollemnitatibus, si alecia terræ se inclinaverint, eorum *e* captioni congrue nter intendere: ita tamen, quod post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem. Si autem illi, qui aliquos dies in pane, & aqua ex injuncta sibi pœnitentia tenentur peragere, panem quo vescantur, non habent, leguminibus, aut piscibus, aut aliis cibariis *f* si necessitas exigerit, reficiantur, moderata tamen discretione habita, quod his non ad delicias, sed ad necessaria m solummodo sustentationem utantur.

N O T Æ.

T*Ribur.*) ita etiam legitur *in c. 3. hoc tit. in 1. collect.* & *in c. licet, de pœnit. & remis.* ubi refertur alia pars hujus constitutionis, sed male, cum Tribur temporibus Alexandri tantum fuisset villa Imperatoria prope Moguntiam, neque in ejus finibus sit littus, portusve maris, ubi piscatio alecum, de qua in præsenti specie agitur, contingere possit. Cujacius in præsenti existimat, præsentem epistolam missam fuisse alicui Prælato Daniæ, Scandiæ, seu Norvegiæ, in quibus Provinciis prædicta piscatio exerceri solet. Ego autem ob eamdem rationem autumabam legendum esse, *Trevereusi Archiepiscopo*; quia videlicet in Germania hæc piscatio exerceri solet, imo in ejus littoribus pisces isti reperiuntur, ut constat ex Vincentio Belvacensi *tom. 1. in speculo naturali, l. 17. c. 30.* in illis verbis: „ Alec piscis est ad liquorem salsamentorum „ idoneus, unde & nuncupatur actor. *Fertur autem alec ex „ puro aqua elemento vivere, sicut salamandra ex igne. Plinius l. „ 39.* Alece scabies pectoris sanatur infusa per cutem inci„ sam, & contra canis morsus, draconisve marini prodest. *„ Et libro de natura rerum*: Alec est piscis marinus admodum „ parvus, in occiduo mari, quod mediterraneum est, inter „ majorem Britanniam, & Germaniam. Cumque unumquod„ que fere genus piscis marinorum habeat tempus suum in „ quo solo fit bonum, scilicet ab Augusto usque ad Decem„ brem, hic cum recens captus fuerit, delicatiorem cibum „ præbet. Salsus autem in usum hominum ultra quam alii „ pisces sanus durare potest. Omnium quoque fere piscium „ solus aqua vivit tantum, nec nisi in aqua vivere potest. „ Nam statim ut aeris serena contigerit, expirat, nec ulla „ mora est inter contactum aeris, & exspirationem. Oculi „ ejus instar luminis de nocte lucent in mari; sed horum vir„ tus cum ipso pisce moritur; ubicumque super aquas in ma„ ri lumen vident, gregatim adnatant, & hoc actu, dum „ ad retia dictis temporibus alliciuntur, quasi parati ad ca„ piendum divino munere in usus hominum deducuntur. Hi„ bernis autem temporibus secreto maris usque ad tempus de„ bitum abscondunturur, & hoc circa Germaniam. *Ex Æliano „ l. 24. de animalibus, ubi ita ait*: Alec est piscis, quem ego „ vidi, quod habet corpus, & corium fere sicut piscis, qui „ Rayce, Gallice, Germanice Rocho vocatur: sed corpus ejus „ acutur in caudam unam longam, & in fine pinnulatam, „ & bifurcatam, sicut cauda aliorum piscium; & super dor„ sum caudæ est pinna magna, non ad natandum, sed ad di„ rigendum, quia motus ejus per transversum est de latere ad „ latus, & pinnæ, quæ sunt ad remigium natationis, moven„ tur ab ante in retro, impingendo piscem ad ante, sicut est „ motus remorum in navi; hic piscis habet foramina in utro„ que latere, & habet duplicia in duobus ordinibus: in uno „ latere habet bis tres branchos, unum supercilium ascenden„ do de ventre ad dorsum capitis, & in anteriori latitudine „ corporis, quasi in humeris habet duas maximas pinnas for„ matas articularibus conjunctionibus per omnia, sicut ala „ avis, una est, in uno latere, & alia in alio, & motus ala„ rum a dorso ad ventrem, sicut motus alarum avis: & omni „ eodem modo habet duas alas formatas in lateribus inferius, „ ubi incipit stringi corpus, in radice caudæ, & eodem mo„ do motus mobiles; & in ventre habet duos pedes cartilla„ ginosos, non habentes articulos, unum ad latus, & alte„ rum ad aliud, & in planta sunt quædam divisiones confu„ sæ digitorum. Ille piscis est maximæ multitudinis in Ocea„ no, quod partes Galliæ, & Angliæ, & Theutonicæ, & Da„ ciæ attingit, & est piscis quasi palmæ unius, qui dum in „ grege toto natat, capi præ multitudine non potest; dum „ autem post æquinoctium autumnale acies se dividunt, capi„ tur. „ Ex quibus auctoritatibus non modicam lucem accipit præsens decretalis, cum ex eis constet, certis tantum temporibus alecia terræ se inclinare. Qua ratione motus Alex. III. etiam diebus Dominicis eorum piscationi operam dare permisit. Alio etiam non levi fundamento fulcitur præsens emendatio; nam ut constat ex secunda parte hujus epistolæ, quæ reperitur *in d. c. licet*, in hac decisione agebatur de Provincia frumento sterili, ubi panis frequenter non reperiebatur, quæ sterilitas magnopere convenit Provinciæ Treveri. Gerardus Mercator *in Athlante minori, f. 354.* in illis verbis: " Aer frequen„ ter hic est nubilus, & pluviosus; ut quidam hic accommo„ dent cloacam Planetarum; verum id propter convallem, ubi „ nebulæ suspenduntur, evenire nonnulli asserunt. Regio ipsa „ inæqualis est, ob idque sylvestris & squallida, & præter „ avenam vix quidquam proferens. „ Unde consuluit Archiepiscopus Trevereusis Alex. III. ab eoque quæsivit, utrum illi, „ quibus injuncta erat pœnitentia, ut tantum pane, & aqua „ vescerentur, possint propter panis sterilitatem piscibus uti. Cui consultationi respondet Pontifex in alia parte hujus textus, „ quæ reperitur, *in d. c. licet, de pœnit.* Igitur legendum est, *Trevereusi Archiepiscopo*. Treverensis autem civitas est in Gallia Belgica: eam potentissimam, & excellentissimam appellavit Salvianus *l. 6. de gubernat. Dei*, domicilium Principum dixit Gratianus *in l. 1. Codic. Theodos. de professi. & medic.* ejus opulentiam, & fines describit Bucherus *in Belgic. Rom.* Metropolim Ecclesiasticam fuisse jam suo tempore testatur Athanasius, tum *in epist. ad solit.* tum etiam *in apolog. de fuga*: & an. 346. Maximinus Treverensis Episcopus Con. Agrippinensi adversus Euphratam Colonicnsem præfuit, juxta postulatum fratrum, idest ad petitionem Episcoporum Provinciæ, qui proximum Metropolitanum Trevereusem ad subsidium laborantis Provinciæ in ca-

in capite ſuo, quod hæreſi infectum, & deprehenſum erat, advocaverunt, ut interpretatur Hallierius *de hierar. juriſd. l.* 4. §. 37. *pag.* 631. Alia dedimus *in cap.* 8. *de renunt.* Hujus ergo Eccleſiæ Præſuli Hellino dicto, ni fallor, miſſa fuit præſens deciſio.

2 b *Septimum diem.*) Quem Dominum benedixiſſe, & ſanctificaſſe legitur *Exodi c.* 2. *v.* 2. benedixit enim Deus, hoc eſt benefecit ei, & volens ipſum præ ceteris hebdomadæ diebus in honore haberi, ſanctificavit, ſegregando illum ab aliis, & ab omni uſu profano, ſeu opere ſervili, ſpeciali quadam ratione eumdem cultui ſuo dedicando: unde aliqui non immerito exiſtimarunt, hodie ſpeciali quadam ratione in cœlis omnes Angelorum choros majori exultatione, & jubilo in Dei laudes prorumpere, de quibus laudibus exaudiendum eſſe putant illud Job: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ, & cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Ipſi etiam exiſtimant ante legem Moyſi datam, ubi præceptum ſervandi Sabbatum inter alia præſcriptum fuit *Exodi cap.* 20. *&* 31. *Deuteron. c.* 5. Adamum, ejuſque poſteros diem ſeptimum coluiſſe; in lege vero gratiæ dies ſeptimus Sabbati translatus fuit in proximum diem Dominicum, atque etiam nonnihil immutatum fuit quoad ejus ritum, & celebrationis modum, tum etiam quoad finem, & intentionem, ut referunt Salvianus, Tornielius, & ex eis Spondanus *in annalibus ſacris, die* 7. ut jam notavimus *ſuperiori c.*

3 c *Dies majeſtati.*) Qui referuntur *in c.* 1. *de conſecr. diſt.* 3. *c. ult. hoc tit.*

4 d *Natalitia Sanctorum.*) Non quibus in hanc vitam prodeunt mortalem, tum aliis malis, tum maxime peccatis obnoxiam; ſed quibus expiati martyrio ad vitam tranſeunt immortalem; dies enim martyrii, & obitus Sanctorum pro eorum natalitiis celebrantur; quamquam B. Virginis, & B. Joannis Baptiſtæ, ut natales Eccleſia celebret dies illos, quibus hanc lucem primum aſpexere, non quia nati tantum ſint, ſed quia divinis præ ceteris aucti muneribus, divinitus nati ſunt. Euſebius in Gineſium Martyrem, ibi: " Hodie natalem S. Gineſii celebramus; & merito BB. Martyr. paſſiones natales vocamus dies, quando eos martyrii vita & gloriæ fides, dum ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia brevi dolore parturiit. *Idem* hom. 1. in ſanctum Joannem Bapt. *ibi*: Hodie Joannis, qui Domini præcurrit adventum, natalem diem celebramus, quod nulli ſancto meminimus attributum: hodie, inquam, ejus natalem diem unica, ac ſingulari celebritate veneramur. *Origenes* l. 3. in Job: Nos non nativitatis diem celebramus, cum ſit dolorum & tentationum introitus; ſed mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem; illi enim, qui mori videntur, mundo vivunt, & naſcuntur Deo; propterea memorias Sanctorum facimus, & parentum noſtrorum, vel amicorum in fide morientium memoriam agimus, tamquam eorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam in fine conſummationem poſtulamus. " Plura congerunt Creſpetius *in ſumma, verbo dies feſti*, Rabanus Maurus *l.* 2. *inſtit. cleric. c.* 43. Roa *de die natali, c.* 18. Cochier *in face hiſt. c.* 12. Dorleans *ad Tacitum f.* 596. Novarinus *l.* 2. *elect. c.* 62. Marquez *in ſuo gubernat. l.* 2. *c.* 38. §. 2. Torreblanca *de jure ſpirit. l.* 11. *c.* 11. *n.* 8. Tiraquellus *de nobilit. chart.* 31. *n.* 469. Herrer. *l.* 2. *de orig. divini offic. c.* 19. Dionyſius Salvagnus *in Ovidium, ad Ibin, f.* 34. Plerumque tamen primis Eccleſiæ ſæculis Chriſtiani in his natalitiis celebrandis lautius epulabantur. Gregorius Magnus *l.* 10. *ep.* 71. *Nam ut dedicationes, vel natalitia ſanctorum Martyrum religioſis conviviis ſolemnitatem celebrent*, D. Hieronymus ad Euſtochium de S. Petri feſtivitate ita ait: " Feſtus eſt dies, & natalis B. Petri, feſtivius eſt ſolito condiendus, *Et ſub finem*: Unde nobis ſolicitius providendum eſt, ut ſolemnem diem, non tam ciborum abundantia, quam ſpiritus exultatione celebremus, quia valde abſurdum eſt nimia ſaturitate velle honorare Martyrem, quem ſcias Deo placuiſſe jejuniis. *Petrus Chryſologus* ſerm. 129. Noli æſtimare, chariſſime, quod in ſolis prandiis, & profuſioribus epulis natales Martyrum celebrentur. " Sed cum licentius epularentur, hujuſmodique compotationibus ſe ſanctorum Martyrum demereri crederent patrocinium, epulæ illæ prohibitæ fuerunt variis Eccleſiæ legibus. Conc. Altiſſiod. *c.* 2. *&* 9. Cart. 4. *can.* 58. Cabil. *c.* 18. Tolet. *can. ult.* Brachar. *can.* 8. Nannet. *can.* 10. Synod. *can.* 22. De his epulis, & choreis in natalitiis Sanctorum deteſtandis plura adducunt Balſam. *in can.* 61. *&* 75. *Synod.* 6. Savarus *in not. ad Sidon. lib.* 4. *ep.* 15. Ambianas *ad Tertul. de idololat. c.* 10. *ob.* 1. Roſvveid. *in notis ad Paulin. pag.* 15. *linea* 29. & nos *in c. cum decorem, de vita & hon. cler.*

e *Captioni.*) Piſcatio enim regulariter abſque neceſſitate lucri cauſa prohibita eſt diebus feſtivis, ut docent, & reſolvunt Suarez *tom.* 1. *de relig. l.* 2. *c.* 28. *n.* 6. Fagundez *in quinque præcept. Eccleſ. c.* 11. *n.* 16. Leander *eod. tr. diſp.* 4. *q.* 31. Valeus *in floribus, verbo Feſtum, nu.* 12. Ricciulus *lib.* 6. *lucubr. c.* 22. Unde ut ex indulgentia piſcationem alecum concedat Alexander III. in præſenti, tria deſiderat. Primo ingruentem neceſſitatem, quæ adeſſe dicitur eo ipſo, quod certo tantum tempore piſces terræ ſe inclinaverint; unde hæc deciſio habet locum in omni genere piſcium, quorum piſcatio aliquo tantum tempore exerceri poteſt, ut ſunt thunni, ſpodi, ſeu ſardæ, ut reſolvunt Sanchez, Trullench, & Fagundez relati a Leandro ubi ſupra, *qu.* 32. Secundo deſideratur, quod hujuſmodi piſcatio non fiat in diebus natalis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, ut reſolvunt Ricciulus, *lib.* 6. *c.* 27. Leander *q.* 33. Tertio requiritur, ut congrua portio Eccleſiæ, & Chriſti pauperibus ſolvatur: & licet legitima ultima verba hujus textus tantum importare conſilium docuerint Sylveſter *verbo Dominica, q.* 4. Tabiena *verbo Feria, q.* 45. *n.* 46. Sanchez *lib.* 10. *de matrim. diſp.* 11. verius tamen eſt, præceptum continere, ut reſolvunt in præſenti Baldus *n.* 2. Butrius *n.* 8. & 12. Abbas *n.* 4. Ancharanus *n.* 8. Suarez *de relig. t.* 1. *lib.* 2. *c.* 33. *nu.* 7. Ricciulus *d. lib.* 6. *c.* 7. verba enim illa, *ita quod*, inducunt modum neceſſario adimplendum, *l. ſi quis, ff. quod quiſque jur. l. hac autem, in fine, ff. de ſervit. urb.* Quoad congruam vero portionem cenſent Gloſſa, quam ſequuntur repetentes, & Ricciulus ubi ſupra, uſque ad decimam partem eſſe in pauperes erogandum, ultra decimam illam partem, quam Eccleſia jure prio vindicat, *ex c. ad Apoſtolicæ, de decimis.*

f *Neceſſitas.*) Propter quam plura permittuntur, quæ abſque 5
ea illicita erant, *c. quod non eſt, de R. J. in* 6. plura Barboſa *axiom.* 258. & nos Deo volente dicemus *in c. ſi propter, de furtis*; unde ea ingruente vel imminente periculo pluviæ, ſeu incurſus hoſtium, licet die Dominico fœnum, ſegeteſve ſuccidere, & colligere. Ricciulus *d. c.* 27. *n.* 8. Leander *d. diſp.* 6. *q.* 22. *cum ſequent.* quod & ad metalla facienda ingruente neceſſitate recte protraxit Solorzan. *t.* 2. *de jur. Ind. lib.* 2. *c.* 27. *n.* 102. *& c.* 29.

CAPUT IV.

a Clemens III.

CApellanus tuus, frater Epiſcope, coram nobis ex parte tua propoſuit, quod cum canonica *b* ſtatuta declarent, nuptias tribus hebdomadibus *c* ante feſtum nativitatis S. Joannis Baptiſtæ minime celebrari debere; quidam hebdomadas illas abſque interpolatione continuandas intelligunt: alii vero inter feſtum, & ipſas facere intervallum volentes, illud dicunt ob reverentiam feſtivitatis Pentecoſtes fuiſſe ſtatutum, quæ in ſeptimanis ipſis ſolet intervenire quandoque, & ſic inchoantes a tribus diebus *d* Rogationum ante Aſcenſionem Domini, uſque ad octavam diem poſt Pentecoſten, illis hebdomadibus computatis, illo tantum temporis ſpatio celebrari nuptias non permittunt, earum celebrationem ab inde nullatenus inhibentes. Quia igitur conſulti fuimus, utra iſtarum opinionum potior videatur, nobis, & fratribus noſtris apparuit, quod cum ea ſit Romæ conſuetudo a longis retro temporibus obſervata, ut quocumque matrimonium contrahatur tempore conſenſu interveniente *e* de præſenti legitimo, quia tamen a *f* Septuageſima uſque ad ſeptem dies poſt Pentecoſten celebrari nuptiæ non ſinuntur, & poſtea etiam tribus, vel pluribus ſeptimanis ante feſtivitatem ſancti Joannis ſine differentia celebrantur; poſterior ſententia meliori, & ſubtiliori ratione fovetur: & ſive ſecundum canones a Septuageſima uſque poſt Octavas Paſchæ; ſive juxta conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, uſque poſt ſeptimum diem feſti Pentecoſtes, qui *g* caret Octavis, nuptiæ ſuſpendantur, in Dominica quæ ſequitur, & deinceps indiſtincte valeant celebrari.

NOTÆ.

1 a CLemens.) Ita etiam legitur in 2. collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. ſed ex nulla ex his collectionibus conſtat de Prælato, cui miſſa ſit hæc epiſtola: quod plerumque in ejus Decretalibus contingit, cum magno Profeſſorum hujus juris detrimento.

2 b *Statuta canonica.*) Concilium videlicet Illerdenſe relatum a Gratiano *in c. non oportet* 33. *q.* 4. in hæc verba: " Non oportet a Septuageſima uſque ad octavam Paſchæ, & tribus hebdomadis ante feſtivitatem S. Joannis Bapt. & ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniam nuptias celebrare: quod ſi factum fuerit, ſeparentur. *Saleguſtad. ſub Benedicto VIII.* c. 3. De legitimis autem conjugiis viſum eſt, quod nullus Chriſtianus uxorem ducere debeat ab Adventu Domini uſque poſt Epiphaniam, & a Septuageſima uſque in Octavam Paſchæ, neque in ſupra notatis quatuordecim diebus ante feſtivitatem S. Joannis Baptiſtæ.

c *Ante feſtum B. Joannis.*) Ante feſtivitatem S. Joannis olim 3
obſervabatur jejunium in aliquibus Provinciis per quatuordecim dies.

Concil. Saleſg. *d. can.* 3. Concil. apud Erpheſfurt *can.* 2. relatum a Burchardo *l.* 13. *Decreti, c.* 21. ibi: " Et VII. dies ante nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, quatenus adeundi Eccleſiam orationibuſque vacandi liberius habeatur facultas. " Et tunc temporis in Eccleſia erant quotannis tres Quadrageſimæ, una ante Domini nativitatem, quæ hodie appellatur Adventus: alia ante ejus reſurrectionem, ut hodie obſervatur: alia tandem ante nativitatem S. Joannis Bapt. ut probatur ex Conc. Tribur. *can.* 7. alias 58. Cæſarauguſt. *can.* 2. apud Carnot. *p.* 15. *Decreti, can.* 18. Pœnit. Rom. relato a Burchardo *l.* 19. *Decreti, c.* 10. ibi: " Ut tres Quadrageſimas jejunet, una ante natalem Domini, ſecunda ante Paſcha, tertia ante Miſſam S. Jo. & ſi totam Quadrageſimam ante Miſſam S. Jo. implere non poſſit, poſt Miſſam impleat. *Eodem l. c.* 5. Per ſingulos annos quatuor, qui remanent, tres Quadrageſimas per legitimas ferias debes jejunare. Primam ante Paſcha cum ceteris Chriſtianis, alteram ante feſtivitatem S. Joannis Bapt. & ſi quid remanet, poſt adimpleas, tertiam ante nativitatem Domini, a vino, a medone, mellita, cerviſia, a carne, ſanguine, & caſeo, & pinguibus piſcibus. " Illuſtrant Fileſacus *de Quadrageſima c.* 3. Mendoza *l.* 1. *Conc. Illib. cap.* 6. Balſam. *in ſcholiis ad reſponſa Patriarch. Conſtantin.* erudite Theophilus *t.* 10. *in roſa merid. f.* 479.

d *Tribus diebus rogationum.*) Rogationes, ſeu Litaniæ in duplici ſunt differentia; aliæ enim dicuntur ſtatæ: imperatæ aliæ. Imperatæ ſunt, quæ ratione neceſſitatis præſentis, vel futuræ indicuntur ad orandum Deum, ut interceſſione Sanctorum non ſolum a peccatorum nexu, ſed etiam a tribulationibus, & calamitatibus, tam præſentibus, quam futuris nos liberet, de quibus plura Ant. Auguſt. *in epit. l.* 21. *tit. ult.* Covar. *l.* 4. *var. c.* 20. *n.* 16. Conradus Brunus *l.* 5. *de cerem. c.* 1. Alciatus *l.* 9. *parerg. c.* 11. Polyd. Virgil. *de invent. rer. l.* 6. *c.* 2. P. Greg. *l.* 1. *part. tit.* 20. *c.* 2. Savarus *in notis ad Sidon. l.* 7. *epiſt.* 1. *f.* 411. & *ep.* 14. *f.* 353. A. morales *l.* 11. *chron. Hiſpan. c.* 43. *f.* 51. Valenzuela *conſil.* 184. Azor *t.* 1. *inſtit. l.* 7. *c.* 16. Loayſa *in notis ad Conc. Gerundenſe, can.* 3. Baronius *in Martyr. die* 25. *Aprilis, f.* 174. Coriolanus *in breviario anno* 590. & *in notis ad Conc. Aurel.* 1. & *ad Gerund. can.* 3. Jodoc. Coccius *l.* 3. *theſauri tit.* 7. Statæ rogationes duplices etiam ſunt, alia major, alia minor. Major celebratur in feſto S. Marci: minor, quæ vulgo dicitur dies Rogationum, ante feſtum Aſcenſionis. Cauſam refert Paulus Diaconus *l.* 11. *de geſtis Longob. c.* 11. Rogationes ſeu Litaniæ inſtitutæ fuerunt a Mamerto Viennenſi Epiſcopo, ut aliqui volunt, propter cladem illatam a lupis, & aliis animalibus in partibus Galliarum, obque terræmotus frequentes: quare prædictus Epiſcopus indixit populo jejunium triduanum, & inſtituit rogationes ante feſtum Aſcenſionis, ut loquitur Aſermus Avitus *homil. de Rogat.* & probant Cujac. *in novell.* 113. Jacob. Euſillon. *l. de proceſſ. Eccleſ. c.* 21. Sirmundus *ad Sidonium l.* 5. *ep.* 14. Theophilus *t.* 15. *in eterocl. ſpir. punct.* 8. quæ poſtea imperatæ fuerunt a variis Conc. Aurel. 1. *can.* 6. relato a Burchardo *l.* 10. *Decreti, c.* 7. Synodo apud S. Medardum *canon.* 4. relata ab ipſo *l.* 12. *c.* 20. Gerund. *can.* 2. Mogunt. *can.* 33. *c. Rogationes, de conſecr. d.* 3. Sed verius eſt, Rogationes non fuiſſe primum a Mamerto inſtitutas in Galliis, ſed tantum cum fervore, ad terræmotus, incendii, aliarumque cladium pericula avertenda fuiſſe reſtitutas, ut conſtat ex Sidonio *l.* 5. *ep.* 4. ibi " Harum rogationum ſolemnitates primus Mamertus Pater, & Pontifex reverendiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento invenit, inſtituit, invexit. Erant quidem prius (quod ſalva fidei pace ſit dictum) vage tepentes, infrequenteſque, atque ſic dixeris oſcitabundæ ſupplicationes, quæ ſemper interpellantium prandiorum objicibus hebetabantur, ad quas, ut nihil amplius dicam, figulo pariter, & hortulano non oportuit convenire. In his autem, quas ſupra præfatus ſummus Sacerdos & protulit pariter, & contulit, jejunatur, oratur, pſallitur, & fletur. " Unde patet jam ante S. Mamertum rogationes inſtitutas fuiſſe, & illarum meminit S. Auguſtinus, qui multis retro annis ante Mamertum floruit, *ſerm.* 173. *de tempore*, ibi: " Scire debemus, & intelligere, fratres chariſſimi, quia dies pœnitentiæ, & compunctionis celebramus. *Et circa finem.* Nullus ſibi de induſtria aliquas occupationes inquirat, per quas ſeſe de Eccleſiæ conventu ſubducat: ſine dubio peccatorum ſuorum vulnera diligit, qui in iſtis tribus diebus jejunando, orando, & pſallendo medicamenta ſibi ſpiritualia non inquirit. " Et Litanias jam temporibus Sancti Gregorii Thaumaturgi, & Tertulliani in uſu fuiſſe, probat Severinus Binius *in notis ad can.* 17. *Conc. Laodic.* & *in notis ad ep.* 1. *Hilarii Papæ.* Facit Eucherius *homil. de Litan.* qui meminit Litaniarum ante ſanctum Mamertum. Quare opinionem hanc ut veriorem docuerunt Baronius *dict. die* 29. *Aprilis*, Gretſerus *de proceſſ. l.* 1. *c.* 6. Hugo Menard. *in notis ad l. Sacram. D. Greg. f.* 154. qui de his rogationibus late agunt: & de ſupplicationibus apud Gentiles uſitatis aliqua adducit Germon. *l.* 1. *de ſacr. immun. c.* 18.

5 e *Legitimo de præſenti.*) Forma enim matrimonii conſiſtit in conſenſu contrahentium legitime verbis, aut ſignis expreſſo, *c. ſufficiat* 27. *q.* 2. *c. tua de ſponſ.* Conc. Florent. de unione Armen. §. *Septimum Sacramentum*: probat Baſilius *de matrim. l.* 1. *c.* 7. Conſenſus autem debet eſſe legitimus, ut in præſenti docetur, id eſt verus, purus, liber, deliberatus, verbis aut ſignis patefactus: unde ſubharratio per annuli traditionem, quamvis regulariter non inducat matrimonium, *c. tenor, cap. lator, de re judic.* tamen ſi ex conſuetudine provinciæ per annuli traditionem explicetur conſenſus, ſimilis ſubharratio matrimonium inducit. Baſilius *de matr. lib.* 2. *c.* 11. *&* 12. D. Nicol. de Caſtro *in* §. 1. *Inſtit. de empt. & vendit. n.* 37.

f *Septuageſima.*) Licet Quadrageſimæ jejunium ex inſtitutio-
ne, & a tempore Apoſtolorum in Eccleſia obſervetur, *can.* 6
68. *Apoſt.* D. Clemens *l.* 5. *conſtit. Apoſt. c.* 13. probant Baronius *anno* 57. & 58. Bellarm. *t.* 3. *controv. tit. de jejuniis, c.* 14. Fileſacus *de Quadrag. c.* 1. Cironius *ad titul. de obſerv. jejun.* Hæpthenus *diſquiſ. monaſt. l.* 10. *tr.* 8. *diſquiſ.* 1. Turrianus contra Magdeburg. *l.* 5. *c.* 8. Menardus *ad D. Gregorium pag.* 52. Coriolanus *in can.* 66. *Apoſt.* Herrera *de orig. divin. offic. c.* 26. Theophilus *t.* 10. *in roſa meridiana, fol.* 465. Tamen circa hebdomadas huic quadrageſimali jejunio aſſignandas pro temporum varietate diverſum jus obſervatum legimus. Teleſphorus Pontifex, qui floruit ex anno 127. uſque ad annum 138. conſtituit, ut clerici jejunarent per ſeptem hebdomadas, ita ut a ſecunda feria quinquageſimæ uſque ad quintam feriam majoris hebdomadæ, quadraginta dies jejunarentur, ſublatis diebus Dominicis, *c. ſtatuimus* 4. *c. quadrageſima* 44. *d.* Severinus Binius *tom.* 1. *Conc. in vita Teleſphori.* Covar. *l.* 4. *variar. c.* 20. Azor. *t.* 1. *inſtit. l.* 1. *c.* 12. *q.* 2. Poſtea Melchiades, qui Eccleſiam rexit ex anno 311. uſque ad 315. ſtatuit, ut in omnibus quintis feriis jejunium ſolveretur, ad exemplum Chriſti Domini, qui feria 5. cœnavit cum diſcipulis, *c. jejunium* 4. *de conſecr. d.* 3. ideoque ut tempus Quadrageſimalis jejunii adimpleretur, addidit hebdomadam ſexageſimæ, & conſtituit ex ejus die ferias enumerari uſque ad feriam 5. majoris hebdomadæ, ſublatis feriis quintis, & diebus Dominicis. Eodem etiam tempore Græci, & aliqui ex Latinis, qui non jejunabant diebus Dominicis, feriis quintis etiam ſublatis, Septuageſimæ hebdomadam addiderunt: poſtea in Concilio Laodiceno temporibus Damaſi celebrato, anno 377. ſtatutum fuit, ut jejunium quadrageſimale inciperet a feria 2. Dominicæ Quadrageſimæ, & duraret uſque ad Sabbatum ſanctum, *c. non liceat* 7. *c. non oportet* 8. *de conſecr. d.* 3. Sed poſtea Gregor. Magnus conſtituit, ut Quadrageſima inciperet feria 4. Cinerum, & finiretur die Sabbati ſancti incluſive, in quo tempore perfecte adimpletur jejunium Quadrageſimæ, *c. Quadrageſima* 16. *de conſecr. diſtinct.* 5. referunt Azor. *ubi ſup.* Layman *l.* 4. *ſummæ tr.* 8. *c.* 2. Et licet jam ab his temporibus jejunium a Septuageſima non inciperet, Eccleſia tamen quoad officia divina ab ea Dominica mœroris, & luctus tempus obſervat per ſeptuaginta dies ſequentes, in memoriam ſeptuaginta annorum; quibus Iſraelitæ exules fuerunt a terra propria: notarunt Micrologus *in obſerv. Eccleſ. propoſ.* 47. Rupert. *l.* 1. *c.* 6. Herrera *de orig. divin. offic. c.* 15.

g *Caret octava.*) Hæc verba expoſui *in c.* 2. *hoc tit.*

COMMENTARIUM.

PRo hujus textus interpretatione obſervandum eſt, jam a primis Eccleſiæ temporibus uſque ad noſtra, interdictam fuiſſe nuptiarum celebrationem certis anni temporibus, videlicet ab Adventu Domini uſque ad Octavam Epiphaniæ; a Septuageſima uſque ad Octavam Paſchæ; a die Rogationum uſque ad Pentecoſten, *c. non oportet* 33. *q.* 4. Conc. Saleſguſtad. ſub Benedicto VIII. *can.* 3. " De legitimis autem conjugiis ita viſum eſt, quod nullus Chriſtianus uxorem ducere debeat ab Adventu Domini uſque in Octavam Epiphaniæ; & a ſeptuageſima uſque in Octavas Paſchæ, nec in ſupra notatis quatuordecim diebus ante feſtivitatem Sancti Joannis Baptiſtæ, neque in prædictis jejuniorum diebus, ſive in omnium ſolemnium dierum præcedentibus noctibus. *Conc. Ravennat. ſub Clemente V. c.* 19. Et ut tempora interdicta ad celebrandum nuptias non poſſint aliquando ex ignorantia excuſare, monemus omnes Sacerdotes, parochiales maxime, quatenus dicta tempora Dominica ante Adventum, & Dominica ante Septuageſimam, & Dominica ante Octavam Aſcenſionis Domini ſtudeant publice in Miſſarum ſolemniis nuntiare, quod nullus celebret nuptias temporibus ab Eccleſia interdictis, ſcilicet a prima Dominica Adventus uſque ad Epiphaniam, & a Dominica de Septuageſima uſque ad Octavam Paſchæ, & a tribus diebus ante Aſcenſionem uſque ad Octavam Pentecoſtes. *Et in Conc. Senon. ſub Clemente VII. in decretis morum, c.* 39. Sane cum matrimonium a Deo omnium rerum conditore in paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtitutum fuerit, ſitque teſte Apoſtolo, ſacramentum, proinde cum magna reverentia, ac devotione ſuſcipiendum, utpote in quo, ſicut & in reliquis ſacramentis gratia conferatur; prohibemus ne in ſponſalibus, aut nuptiali benedictione fiant riſus, cachinnationes, aut alia ridicula verba enuntientur: quin imo moneantur affidati, quatenus jejuni, contriti, confeſſi, ac cum multa reverentia ad hoc ſacramentum accedant. *Concil. Enhamenſe temporibus Joann. Pap. XVII.* can. 18. *ibi*: Ordalii præterea, & jurisjurandi adminiſtratio, necnon & matrimonii celebratio, in feſtis ſolemnibus, & in jejuniis quatuor temporum ſemper prohibentur, & ab Adventu Domini ad Octavas uſque Epiphaniæ, & a Septuageſima ad quintamdecimam noctem uſque ad Paſcha. " Toletanum anno 1473. tempore Sixti IV. *canon.* 16. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. c.* 10. ſolum interdicit has benedictiones nuptiales ab Adventu uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria 4. Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſive: & *canon.* 11. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti, Creſpetius *in ſumma, verbo Nuptiæ,*